+

Vivamus DEO paulul[...]
qui Saeculo viximus totum
Dedimus corpori Annum
demus Animae paucos d[...]
Dicta S. Chrysost.

Venit nox quando nemo p[...]
[...]st operari. Joan. 9.
[illegible] tempus [illegible]
[illegible] do redimas.
bene operando [illegible]

[illegible]

en

Praxis Catechistica
Jacobi Marchantii

PP. Camaldul. Insulæ Vigrensis

Perillustri

D.

S

SCHOLASTICO

Sac: Reg: Maiestati Secretario.

Domino & Patrono Colendissimo.

NOn temerè factum putes PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE, quòd praxim Catechisticam à REVERENDO DOMINO IACOBO MARCHANTIO Theologicâ facultate æui Nostri Clarissimo in compẽdium redactam, Perillustri Tuo nomini dicatam voluerim. Cui enim potius debebatur consecrandum opus breue illud licet, suis tamen perfectionis numeris absolutum, quàm Tibi, qui domi & foris iuris Diuini & humani Sacrisq; literis excellenter

ri vultu ex-

ini

gent

llustrari cupiens,

anibus tractandum

m reddi credidit. Non dedignabitur, quæ Tua prudentia est, breuitatem, cùm nihil intersit quàm prolixum sed quàm excellens inueniatur, quia nec gemma quàm grandis, sed quàm splendida gratiam meretur. Tum vero vel inprimis futurum gratum, quòd non Tyronibus tantum, sed ipsis fidei Catholicæ Doctoribus vtile, illi quid discere, hi quod docere, inuenient. Vtilitatis porrò publicæ quis animo Tuo versetur sensus, ille solus ignorabit, qui publicas functiones pro dignitate susceptas non viderit. Siue enim

Prin-

rig

Reipublicæ bono con...
fateri necesse erit sump...
pru...ntiam, curam, soli...
priuati, sed publici fuisse n...
in re secutus Illustrissimi Par...
Castellani Srzemensis ingenium, qui publico bono natus, non tantùm consilio in Senatu excelluit, sed etiam non tam priuatis fortunis, verùm potiùs toti Patriæ sumptu ad inuidiam magnifico finitimum, illudq́ firmissimum parauit propugnaculũ: & ne Genti bellicosæ domi deesse ars bellandi videretur, publico Prelo, sumptu amplissimo ad Posteritatis transmisit memoriam. Dignus sanè prius amplissimis ornari honoribus, quàm immaturá vi abripi fatorum. Iam verò PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE cum te in hæreditatem Paternarum virtu-

æ Tuo Pa-
rant fata, ti-
oebuntur in Ec-
ca culmina, quæ pro
virtutumq́ ornamentis,
ntùm tibi semper deuoto, sed
etiam voto contingant precor.

Perillustr: & Admodum Rñd:

Dominationis Tuæ

Humillimus Seruus

Albertus Regulus

Not: Consist: &

Typ: Posnanień

PRÆFATIO AVCTORIS.

LECTOR BENEVOLE, SALVTEM IN DOMINO.

EDito Paſtorali noſtro opere, optârunt quidam è Paſtoribus, vt tantò faciliorem viam ad catechizandum ſtratam reperirent, ſummatim per ſingulas Lectiones indicari Interrogationes quæ pueris proponi poſſent. Alij etiam Indicem Concionatorium expetierunt, vt aptè ad Euangelia Dominicalia, vel ad Feſta poſſint ex hoc noſtro Horto Paſtorali Conciones ſuas adornare. Ego quia omnibus Paſtoribus, & rudioribus, & doctioribus, me debitorem initio operis profeſſus ſum, voto eorum ſatisfacio. Vnde per Interrogationes & Reſponſiones breues, digeſſi ſingulas

Lectiones: quas Interrogationes & Reſponſiones poterunt pueris vernaculo ſermone ſummatim tradere, ipſi verò vt docere poſſint, legere poterunt eaſdem Lectiones, & i[illegible]nt ampli[illegible] explicationem, [illegible] exemplar ex ge[illegible]ſtis Sanctorum in fine Catechiſmi addenda. Addam & poſtea Indicem Concionum pro Dominicis & Feſtis præcipuis Anni. Vale Lector, & fruere, ac me Sacrificiis tuis commendatum habe.

CATE-

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES EX TRACTATV Tomi I. Horti Pastorum.

De Fide Christiana.

Ex Lectione prima.

I. *Es tu Christianus?* R. Sum equidem per gratiam Dei.

I. *Vnde tibi illud Nomen?* R. A Christo, qui oleo sanctificationis me vnxit.

I. *Quomodo nomen illud acceperunt Fideles?* R. Initio Ecclesiæ nouæ in vrbe Antiochena.

I. *Quomodo antea vocabantur?* R. Discipuli vel Fratres.

I. *Quomodo adhuc?* R. Galilæi & Nazarei, à Iesv de Nazareth Galilæo.

I. *Est-ne diuisio inter Christianos, quod aliqui vocentur Franciscani, alij Benedictini, alij Bernardini?* Non est: Nam Franciscus, Benedictus, Bernardus, sunt Duces ad perfectionem sub Christo.

I. *Ad quid nos obligat nomen Christianum?* R. Ad moriendum pro Christo.

I. *Declara exemplis:* R. S. Sebastianus, S. Diaconus, S. Blandina per Nomen Christianum animati sunt ad Martyrium.

Ex Lectione secunda.

I. *Sunt-ne aliæ obligationes Christiani?* R. Obligatur iugiter agere gratias DEO de sua ad fidem vocatione.

I. *Quid vltra?* R. Sicut est hæres Nominis, ita debet esse immitator Sanctitatis Christi.

I. *Quod debet esse speculum quotidianum Christiani?* R. Vita & virtutes IESV CRISTI.

I. *Sunt-ne multi Christiani?* R. Sunt multi numero, pauci vitæ merito.

I. *Quid ita?* R. Quia pauci Christũ imitãtur.

Ex Lectione tertia.

I. *Quod est signum Christi?* R. Signum Crucis.

I. *Quis fructus illius?* R. Continet professionem fidei: SS. Trinitatis: Item Incarnationis & Passionis Filij DEI.

I. *Quis vlterior fructus?* R. Multam vim habet contra dæmonem, & eius maleficia.

Ex Lectione quarta.

I. *Quænam est prima virtus requisita in Christiano?* R. Est Fides.

I. Quid

I. *Quid est Fides?* R. Est donum DEI quo firmiter assentimur illis, quæ reuelata sunt.

I. *Quæ requiruntur ad perfectam fidem?* R. Requiritur lumen supernaturale ex parte intellectus.

I. *Quid vltrà?* R. Pius affectus ex parte voluntatis.

I. *Quomodo Deus vocat infideles ad fidẽ?* R. Vocat lumine & voce interiori; vocat etiam exteriori per se vel per suos.

Ex Lectione quinta.

I. *Quàm firma debet esse Fides?* R. Adeo firma esse debet, vt nullam vacillationem admittat.

I. *Quid ita?* R. quia innititur DEO, qui est prima veritas, nec falli potẽs, nec fallere.

I. *Qui solùm vnum articulum non crederet, perdit-ne fidem totam?* Omninò perdit, si sit pertinax, quia Fides debet esse integra.

I. *Nonnè sufficit credere quæ in Scriptura continentur?* R. Non sufficit, sed oportet etiam credere traditiones Ecclesiæ.

I. *Posset-ne id ostendi exemplo?* R. Omninò: Nam & hęretici nobiscum credunt Symbolum

bolum Apostolorum, nec tamen habetur in Scriptura.

Ex Lectione sexta.

I. *Quod est peccatum oppositum fidei?* R. Est hæresis.

I. *Est-ne magnum peccatum?* R. Est grauissimũ.

I. *Quare?* R. Quia destruit fidem, quæ est primum donum DEI, & fundamentum omnium aliorum donorum.

I. *Cur adhuc?* Quia solet hominem deducere ad atheismum.

I. *Sunt-ne fugiendi hæretici?* R. Omninò; & quidem magis quàm peste infecti.

Ex Lectione septima.

I. *Vndenam hæresis suam duxit originem?* R. A maligno Cain, qui primus non credidit prouidentiam & iudicium DEI.

I. *Ex quibus vitiis oriuntur nunc hæreses?* R. Potissimùm ex superbia & libidine.

I. *Quare Deus permittit hæreses?* R. Vel in punitionem peccatorum, vel ad probationem electorum.

Ex Lectione octaua.

I. *Quinam sunt Fundatores Fidei?* R. Sunt Apostoli.

Quomodo

I. *Quomodo eam fundarunt?* R. Doctrina sua, quam toto orbe tulerunt.

I. *Quomodo iterum?* R. Sanguine suo, quo doctrinam rigârunt & firmam fecerunt.

I. *Quinam sunt Fidei Fundatores in nouo orbe?* R. Viri Apostolici, illûc zelo DEI procedentes.

I. *Quomodo eam fundant?* R. Sicut Apostoli, doctrinâ, & si opus sit, etiam sanguine.

Ex Lectione nona.

I. *Quis composuit Symbolum nostrum?* R. Apostoli.

I. *Quando?* R. Cum in vniuersum orbem sunt diuisi.

I. *Ad quem effectū illud composuerunt?* R. Vt vbique traderent eandē formulam credendi.

I. *Composuerunt-ne singuli vnum Articulum?* R. Non est id certū; sufficit communi consensu omnes Articulos composuisse.

I. *Quare dicitur Symbolum sæpe esse recitandum?* R. Quia est speculum Fidei nostræ.

I. *Valet-ne contra Satanam?* R. Omninò; est scutum contra eius iacula.

I. *Oportet-ne scire memoriter Symbolum?* R. Oportet scire, & aliquo modo intelligere.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES.

ex Tract. II.

EXPLICATIO I. PARTIS SYMBOLI.

Ex Lectione prima.

Q*Vod est initium Symboli?* R. Credo in vnum DEVM.

I. *Potest-ne cognosci quid sit DEVS?* R. non potest perfectè cognosci, nec declarari.

I. *Quæ nam sunt perfectiones Dei?* R. Sunt infinitæ.

I. *Enumera aliquas?* R. Æternitas, Immensitas, Omniscientia, Omnipotentia, Prouidentia, Misericordia, Iustitia.

I. *Quare DEVS dicitur Æternus?* R. Quia sine principio & fine semper fuit, semper erit, semper est.

I. *Quare dicitur Immensus?* R. Quia vbiq; est, per essentiam, præsentiam, potentiam.

I. *Quare dicitur Omniscius?* R. Quia videt & nouit omnia præterita, præsentia, futura, & omnia possibilia.

I. *Videt-ne omnes cogitationes?* R. Omninò videt, vsq; ad fundum cordis nostri.

I. *Quare dicitur Omnipotens?* R. Quia nihil est impossibile eius voluntati.

I. *Posset-ne creare plures mundos?* R. Posset infinitos.

I. *In quo consistit Dei Prouidentia?* R. In gubernatione omnium creaturarum, ab Angelo vsq; ad vermiculum.

I. *In quo iterum?* R. In prædestinatione & reprobatione hominum.

I. *Reprobat-ne aliquem DEVS non præuisis peccatis?* R. Non.

I. *In quo relucet Dei misericordia?* R. In omnibus operibus eius, & maximè in salute hominum.

I. *In quo eius elucet* Iustitia? R. In punitione malorum.

I. *Declara exemplis:* R. In punitione Angelorum reproborum, in Diluuio, in Sodoma, & aliis vltionibus.

I. *Sunt-ne plures prædestinati quàm reprobi?* R. Sunt plures reprobi.

Ex Lectione secunda.

I. *Sunt-ne plures Dij?* Non, sed vnicus est.

I. *Cur ergo tres nominantur, Pater, Filius, Spiritus Sanctus?* R. Tres sunt Personæ, sed

vnus

vnus est DEVS in natura, & essentia.

I. *Declara id exemplo?* R. Potest id declarari exemplo animæ: in illa sunt tres potentiæ, Intellectus, Voluntas, Memoria, vnica tamen est anima.

Ex Lectione tertia.

I. *Dic primum Articulum Symboli?* R. Credo in DEVM Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.

I. *Quid significat vox Credo?* R. Significat idem quod firmissimè teneo, sine vlla hæsitatione.

I. *Quid significat, Credo in DEVM?* Hæc solêre distingui. Credo DEO, Credo DEVM, Credo in DEVM.

I. *Ostende distinctionem?* R. Credere DEO, est credere vera esse quæ loquitur. Credere DEVM, est credere quia est. Credere in DEVM, est credendo & sperando pio quodam affectu in DEVM ferri.

I. *Quid est Credo in DEVM Patrem?* R. Per Patrē intelligitur prima persona Trinitatis.

I. *Cur eum dicis Omnipotentem?* R. Omnipotentia licet communis sit omnibus personis, specialiter tamen attribuitur Patri, quia

est

est fons omnis originis, & principium sine principio.

I. *Cur initio Symboli statim fit mentio Omnipotētis?* R. Vt nobis nihil sit difficile ad credendum in omnibus in illo proponendis.

Ex Lectione quarta.

I. *In quo DEVS primò suam omnipotentiam ostendit?* R. In creatione cæli & terræ.

I. *Quid impulit DEVM ad creandum omnia ista?* R. Sola sua bonitas; quia non egebat creaturis.

I. *Est-ne magna obligatio hominis erga DEVM, ob creationem?* R. Est planè magna, quandoquidem homo creatus sit propter DEVM, & alia omnia propter ipsum.

Ex Lectione quinta.

I. *Quandonam DEVS creauit Angelos?* Primo die quando creauit cælum, non creauit illud vacuum, sed Angelis plenum.

I. *Est-ne ergo magnus numerus Angelorum?* R. Est sinè comparatione maior numero hominum, & quasi innumerabilis.

I. *Est-ne numerus Angelorum qui ceciderunt magnus?* R. Est magnus, quia ex omni ordine ali-

ne aliqui ceciderunt, & ad eorum locum homines electi euehuntur.

I. *Præſunt-ne Angeli boni mundi gubernationi?* R. Omnino: Præſunt Elementis, Prouinciis, templis, altaribus, ciuitatibus, & ſingulis hominibus.

Ex Lectione ſexta.

I. *Quænam beneficia accipiunt homines ab Angelis cuſtodibus?* R. Accipiunt beneficia, tam corporalia, quam ſpiritualia.

I. *Declara de beneficiis corporalibus?* R. Conſeruant à multis periculis vitam noſtram, & in neceſſitatibus iuuant.

I. *Declara de neceſſitalibus ſpiritualibus?* R. Conſeruant nos ne in peccata cadamus, & offerunt DEO preces noſtras.

☛ Si in peccatis agamus, ad pœnitentiam nos iuuant.

I. *Erga quos ſpecialem protectionem exhibent Angeli?* R. Erga amatores caſtitatis.

Ex Lectione ſeptima.

I. *Quando inchoat Angelica cuſtodia?* R. Mox à natiuitate noſtra.

I. *Quamdiu durat illa?* R. Vſque ad mortem.

I. *An-non & poſt mortem Angelicum officium durat?*

rat? R. Etiam animas post mortem deducunt Angeli in cælum, vel ad Purgatorium.

Ex Lectione octaua.

I. *Quando creauit DEVS hominem?* R. Sexto die.

I. *Quomodo creauit?* R. Ad imaginem & similitudinem suam.

I. *In quo consistit illa similitudo?* R. In hoc quod homo sit secundùm animam incorporeus, immortalis, particeps æternitatis & gloriæ.

I. *Fuit-ne homo creatus cum perfectione donorum naturalium?* R. Planè fuit creatus in perfecta statura, scientia, & aliis donis; etiam cum perfecto dominio in alias creaturas.

I. *Si homo non peccasset, erat-ne moriturus?* R. Nequaquam; sed beneficio ligni vitæ, & DEI speciali dono, erat vitam conseruaturus.

I. *Quid deinde?* R. Tempore à DEO destinato ad consortium Angelorum sine morte erat transferendus.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tract. III.

Explicatio Articulorum Spectantium Ad SECVNDAM TRINITATIS Personam.

Ex Lectione prima.

I. DE *qua re tractat secunda pars Symboli?* R. De Mysterio magno Incarnationis.

I. *Quare vocas Mysterium magnum?* R. Quia est fundamentum cæterorum, & mysteriorum mysterium.

I. *Quomodo grati erimus Deo pro hoc mysterio?* R. Frequenter illud & piè rememorando.

I. *Quis inde fructus?* R. Accendetur inde Charitas in nobis.

Ex Lectione secunda & tertia.

I. *Quid necesse fuit Filium Dei incarnari?* R. Quia sine illa non potuit homo à peccato liberari.

I. *Quid si homo non peccasset, an non fuisset Filius Dei incarnatus?* R. Non fuisset.

I. *Nunquid poterat æquè Pater aut Spiritus Sanctus carnem sumere, & hominem redimere?* R. Poterat.

I. *Quare*

I. *Quare ergo potius Filius id fecit?* R. Quia congruum fuit per Filium naturalem reduci filios adoptiuos ad hæreditatis æternæ participationem, à qua exciderunt.

I. *Poterat-ne Deus magis amare mundum, quàm vt Filium suum vnigenitum daret?* R. Non poterat.

Ex Lectione quarta.

I. *Quare potius Deus hominem peccantem liberauit, quàm Angelum?* R. Quia natura humana infirmior Angelicâ, mouit DEI misericordiam.

I. *Nunquid poterat homo liberari per Angelum?* R. Non potuisset Angelus perfectam satisfactionem offerre pro peccato hominis, sicut Christus.

I. *In quo consistit illa perfecta satisfactio?* R. In eo quod Sanguis Christi, & eius satisfactiones fuerunt infiniti valoris.

Ex Lectione quinta & sexta.

I. *Poterat-ne magis eleuari natura humana, quàm per mysterium Incarnationis?* R. Non poterat, quia per illud deificata fuit; vnita verbo.

I. *Nunquid antiqui Patres magnoperè desiderârunt hanc*

hanc Incarnationem? R. Omninò, nam Scriptura plena est eorum ardentibus desideriis.

I. *Quare ergo tam diu dilata fuit?* R. Quia Christus voluit venire in medio sæculorum.

Ex Lectione septima & octaua.

I. *Dic verba articuli secundi in Symbolo?* Et in IESVM CHRISTVM Filium eius vnicum, Dominum nostrum.

I. *Quare facis reuerentiam pronunciando nomen IESVS?* R. Quia illud est nomen proprium & dignissimum Fili DEI incarnati.

I. *A quo fuit illi impositum?* R. A Patre Æterno.

I. *Nunquid Angelus illud imposuit?* R. Non: Illud tamen MARIÆ & IOSEPHO reuelauit.

I. *Quare vocatur nomen super omne nomen?* R. Quia continet reliqua nomina quæ Christo tribuuntur, & illa transcendit.

Ex Lectione nona & decima.

I. *Quare IESVS vocatur etiam CHRISTVS?* R. CHRISTVS vocatur, quia vnctus.

I. *Quomodo vnctus?* R. Ob triplicem dignitatem; quia Sacerdos, quia Rex, quia Propheta.

I. Quare

I. *Quare vocatur CHRISTVS Filius DEI vnicus?* R. quia in natiuitate æterna non habet fratres.

I. *Nunquid & nos sumus Filij DEI?* R. Sumus per adoptionem, sed ipse vnicus est per naturam.

I. *Quare vocatur Dominus noster?* R. quia ipse specialiter nos sibi seruos emit pretio Sanguinis sui.

Ex Lectione vndecima.

I. *Dic Articulum tertium?* R. Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex MARIA Virgine.

I. *Quando fuit conceptus?* R. Post Angeli salutationem MARIA dicente: *Ecce ancilla Domini, &c.*

I. *Quid opus erat Angeli nunciatione?* R. Vt mens Virginis instrueretur de Filio, antequam carne eum conciperet.

I. *Sed cur id fit per Angelum?* R. Vt idem esset initium orbi reparando, quod fuit euertendo.

I. *Declara istud?* R. Angelus malus colloquio cum Eua dedit initium morti & peccato. Angelus bonus colloquens cum MARIA dedit initium vitæ & gratiæ.

I. Quare

I. *Quare conceptio Christi specialiter tribuitur Spiritui sancto?* R. Quia opera bonitatis specialiter illi solent appropriari.

Ex Lectione 12. & 13.

I. *Quare voluit Christus nasci in Bethlehem?* R. Tum quia erat de familia Dauid, tum quia voluit eligere locum humilem.

I. *Quare voluit reclinari in præsepio?* R. Voluit hoc esse primum altare, in quo Patri se offerret.

I. *Quare voluit nasci tempore pacis vniuersalis?* R. Quia nomen eius erat, Princeps pacis.

I. *Quare natus est media nocte?* R. Quia erat lux vera, quæ veniebat ad illuminandas tenebras nostras.

I. *Quem in nobis effectum habet Natiuitas Christi?* R. Perficit in nobis fidem, spem, & charitatem.

I. *Quem iterum?* R. Docet nos CHRISTVS natus, ex præsepio quasi Cathedra, omnem virtutem.

Ex Lectione 14. & 15.

I. *Quomodo dicitur ex Virgine natus?* R. Quia mansit MARIA, ante partum, in partu, post partum Virgo.

I. *Fuit-ne Christi Natiuitas sine dolore Matris?*
R. Immò fuit cum illius magno gaudio.
I. *Oportuit-ne obstetricem adesse Virgini parienti?*
R. Nequaquam; quia partus eius fuit facilis, & sine vlla sorde.

Ex Lectione decima sexta.

I. *Dic quartum Articulum?* R. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.
I. *Vbinam Christus suam inchoauit Passionem?*
R. In Horto.
I. *Quare in Horto?* R. Ibi inceperat morbus, & mors per primum Adam, secundus Adam ibi voluit remedium inchoare, vt redderet vitam.
I. *Sudauit-ne ibi Christus verum & naturalem sanguinem?* R. Omnino.
I. *Fuit-ne id factum per miraculum speciale?*
R. Fuit factum naturaliter ex vi maximi angoris & agoniæ.

Ex Lectione decima septima.

I. *Quid passus primò fuit Christus sub Pontio Pilato?* R. Flagellationem crudelissimam.
I. *Quare vocas crudelissimam?* R. Ob instrumenta crudelia, eaq; varia; cæsus enim fuit

fuit virgis, funiculis, loris; imò addunt aliqui etiam catenulis.

I. *Fuit-ne magnus numerus ictuum?* R. Quidam dicũt reuelatũ excessisse quinque millia.

Ex Lectione decima octaua.

I. *Quid vltra passus fuit?* R. Coronationem acerbissimam & ignominiosissimam.

I. *Quare vocas acerbissimam?* R. Quia nihil ea acerbius, dum spinæ penetrant carnem & neruos capitis.

I. *Quare vocas ignominiosissimam?* Quia ideo talem coronam imposuerunt, vt regnum eius subsanarent.

I. *Quid præterea huic ignominiæ adiecerunt?* R. Arundinem, quasi sceptrum; & purpuream vestem, imperiale pallium.

Ex Lectione decima nona.

I. *Quid postmodum Christus passus est?* R. Nouos dolores in baiulatione Crucis impositæ.

I. *Declara istud?* R. Quia hoc onere grauissimo premente, nouo cruore plateas respergebat.

I. *Quare vocas Crucem tam graue onus?* R. Tum quia illa ponderosa erat; tum quia in illa omni-

omnium peccata impoſita erant.

I. *Quare Simon Cyræneus iuuit Chriſtum in ferenda Cruce?* R. Deſignat quemlibet verè fidelem cum Chriſto debere baiulare crucem.

Ex Lectione vigeſima.

I. *Qui fuêre vlteriores dolores Chriſti?* R. Hi fuêre in Transfixione manuum & pedum per acerbiſsimos clauos.

I. *Quare Chriſtus voluit eleuari in Crucem?* R. Elegit Crucem quaſi altare in quo immolaretur.

I. *Explicatio myſterium Crucis.* R. Crux ſignificat totam perfectionem Chriſtianam.

I. *Quomodo hoc?* R. Pars inferior in profundo ſignificat fidem, ſublimitas ſpem, latitudo charitatem, longitudo perſeuerantiam.

I. *Fuit-ne Chriſtus totus nudus in Cruce?* R. Probabile eſt, quod ſic.

Ex Lectione 21.

I. *Quare Chriſtus moritur clamans?* R. Vt oſtēdat ſe poteſtatē habere vitæ & mortis.

I. *Quare moritur inclinato capite?* R. Vt ſignificet ſe ex obedientia acceptare mortem.

I. *Quare ſibi mortuo voluit latus aperiri?* R. Vt oſtenderet extremum cordis ſui erga nos amorem.

I. *Fuit-ne illa lateris apertio doloroſa?* R. Non fuit Chriſto, quia mortuus iam erat. Fuit vero Virgini ſub cruce ſtanti duriſſimum vulnus.

Ex Lectione vigeſima ſecunda.

I. *Fuit-ne Chriſti ſepultura honorificata?* R. Planè fuit.

I. *Declara?* R. Quia Viri Primarij & Nobiles eum ſepelierunt in ſepulchro nouo, & corpus ſyndone mundiſſima inuoluerunt cum aromatum copia.

I. *Cur voluit Chriſtus ſepulturam ſuam eſſe magnificam, cùm mors fuerit ignominioſa?* R. Quia prædictum erat per Prophetam: Erit ſepulchrum eius glorioſum.

I. *In quo conſiſtit pręcipua gloria ſepulchri Domini?* R. In corpore quod condidit; quia illud nunquam fuit à diuinitate ſeparatum.

I. *In quo iterum conſiſtit ſepulchri gloria?* R. In multis miraculis ad illud omni ſæculo factis.

Ex Lectione vigeſima tertia.

I. *Dic quintum Articulum?* R. Deſcendit ad inſe-

inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

I. *Quomodo dicitur descendisse ad inferos?* R. Quia anima eius verè & realiter descendit ad limbum, qui in inferiori terræ loco est.

I. *Quare illuc descendit?* R. Vt animas Sanctorum Patrum liberaret.

I. *Cur adhuc?* R. Vt possessionem caperet in inferioribus partibus terræ, & de Principe tenebrarum triumpharet.

I. *Nunquid etiam descendit ad purgatorium?* R. Etiam. Quia & inde aliquos liberauit, imò fortè omnes.

I. *Descendit-ne etiam ad locum damnatorum?* R. Non descendit; saltem inde nullum liberauit.

Ex Lectione vigesima quarta.

I. *Quandonam Christus resurrexit?* R. Tertia die, & hæc erat Dominica dies.

I. *Quare non statim à morte resurrexit?* R. Vt verè mortuus crederetur.

I. *Quot horæ intercesserunt inter eius mortem & resurrectionem?* R. Circiter quadraginta.

I. *Qua igitur hora surrexit?* R. Circa auroram diei Dominicæ.

I. *Resumpsit-ne omnes partes sui corporis?* R. Resum-

ſumpſit omnes; etiam capillos variis locis ſparſos.

I. *Reſumpſit-ne omnem ſanguinem?* R. Etiam omnem reſumpſit.

I. *Quid ergo dicis de ſanguine qui ſudario, lanceæ, vel clauis adhæſiſſe oſtenditur?* R. Non eſt ſanguis quo-ad ſubſtantiam, ſed ſolùm color relictus de ſanguine.

I. *Quare Chriſtus retinuit foramina vulnerum in manibus, pedibus, latere?* R. Vt oſtenderet veritatem reſurrectionis; & vt Patri pro nobis æternùm illa repræſentet.

Ex Lectione 25. & 26.

I. *Quem fructum habemus ex Reſurrectione Chriſti?* R. Fides & Spes noſtra confirmatur, quod ſimul cum ipſo tandem reſurgemus.

I. *Quare tam frequenter & tam diu Chriſtus poſt reſurrectionem apparuit?* R. Vt firmaret fidem reſurrectionis.

I. *Cui facta fuit prima apparitio?* R. Virgini Matri; hoc enim poſcebant merita Matris.

I. *Cui ſecunda?* R. Mariæ Magdalenæ, quæ maximo ardebat amore.

I. *Cui tertia?* R. Aliis mulieribus, vnguenta ferentibus ex pietate erga Chriſtum.

I. *Cui*

I. *Cui quarta?* R. Petro peccatum suum deploranti.

I. *Cui quinta?* R. Discipulis euntibus in Emaus, & de se loquentibus.

I. *Cui sexta?* R. Apostolis omnibus in cænaculo, absente Thoma, ac postmodum iterum octaua die, illo præsente.

Ex Lectione vigesima septima.

I. *Dic sextum Articulum?* R. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram DEI Patris.

I. *Ex quo loco ascendit?* R. Ex monte Oliueti, vbi & vestigia reliquit terræ impressa.

I. *Quare ex illo loco ascendit?* R. Vt illo loco inciperet exaltari, vbi maximè fuerat humiliatus.

I. *Quâ horâ ascendit?* R. Circa meridiem, cum comedisset cum Discipulis.

I. *Quomodo ascendit?* R. Eleuatis manibus, benedicens discipulis.

I. *Quis fuit triumphus ascendentis?* R. Angeli venerunt obuiam Regi suo cum iubilo: & animæ quas secum vehebat, sequebantur eum cum triumpho.

I. *Quare ascendit in Cælum?* R. Vt adimpleret omnia de se scripta, & illuc traheret corda nostra.

I. *Quomodo vult illa trahere?* R. Per Fidem, Spem, Charitatem.

Ex Lectione vigesima octaua.

I. *Dic Articulum septimum?* R. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

I. *Nunquid vnusquisque in morte subit iudicium particulare?* R. Certum est ita esse.

I. *Quid ergo opus Christum venire vt Iudicem in fine mundi?* R. Tunc erit iudicium vniuersale, vt homo omnis iudicetur non solum in anima, sed & in corpore.

I. *Da & aliam rationem?* R. Vt Christus qui fuit hic reprobatus ab omnibus, tunc agnoscatur coram cælo, mũdo, & inferno.

I. *Vbinam exercebitur istud iudicium?* R. Hic in inferiori mundo in valle Iosaphat.

Ex Lectione 29.

I. *Quæ signa antecedent istud Iudicium?* R. Veniet Antichristus, & multos seducet.

I. *Qui erunt præcursores Iudicis?* R. Elias, & Enoch, qui necdum sunt mortui.

I. *Vbi ergo modo sunt ipsi?* R. Sunt in Paradiso terrestri vel in regione aliqua amœna DEO cognita.

I. *Quid tunc agent illi?* R. Reducent multos ad pœ-

ad pœnitentiam; & pro fide Christi morientur.

Ex Lectione trigesima.

I. *Quænam erunt signa immediatè ante iudicium?* R. Erunt signa in sole, luna & stellis.

I. *Quid deinde?* R. Apparebit signum Crucis in Cælo.

I. *Ad quem effectum?* R. Vt sit solatium iustis, terror impiis.

Ex Lectione 31. & 2.

I. *Quinam comparebunt in iudicio vltimo?* R. Omnes comparebunt, etiam infantes.

I. *Erunt-ne separati boni à malis?* R. Boni erunt à dextris, mali à sinistris.

I. *Quale fiet examen?* R. Fiet de omnibus peccatis, etiam occultissimis.

I. *Fiet ne etiam de operibus bonis?* R. Omnino illa examinabuntur, qualia fuerint, & an verè bona.

I. *De quibus vltra erit examen?* R. De donis & beneficiis DEI, an illis benè vsi fuerimus.

Ex Lectione 33. & 34.

I. *Quænam erit sententia pro bonis?* R. Venite Benedicti Patris mei percipite regnum

paratum vobis à constitutione mundi.

I. *Quis eam pronunciabit?* R. Christus Dominus innumeris comitatus Angelis.

I. *Quæ erit sententia pro reprobis?* R. Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo & Angelis eius.

I. *Quæ erit maxima pœna reproborum?* R. In æternum separari à DEO & eius gloria.

I. *Quid sequetur ex illa maledictione à Deo fulminata?* R. Innumeræ maledictiones eam sequentur.

I. *Declara id?* R. Quia filius Patrem, Pater filium maledicet; item ipsi seipsos maledicent; corpus suum anima maledicet. Item cælum & terram ac DEVM ipsum maledicent.

I. *Quare ignis ille dicitur æternus?* R. Quia non ad tempus aliquod longum, nec per myriades annorum tantum; sed cruciabit per infinita sæcula sæculorum, cum desperatione damnatorum.

I. *Quare Christus dicitur iudicaturus viuos & mortuos?* R. Per hoc significamus quod sit iudicaturus omnes; tam eos qui nunc viuut, quam eos qui mortui sunt.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu IV.

EXPLICATIO ARTICVLORVM SPECTANTIVM AD TERTIAM TRINITATIS Personam.

Ex Lectione prima.

I. DIC *Articulum Octauum*: R. Credo in Spiritum sanctum.

I. *De qua re agit Articulus iste?* R. De tertia persona Trinitatis, de Spiritu sancto.

I. *Est-ne Spiritus sanctus æqualis Patri & Filio?* R. Est æqualis in omni perfectione.

I. *Quomodo id declaras?* R. Ex Ecclesiæ doctrina, quæ vbique gloriam æqualem decantat Patri & Filio, & Spiritui sancto.

I. *Procedit-ne Spiritus sanctus à Patre & Filio?* R. Procedit ab vtroque, per modum amoris.

I. *Quare Spiritus sanctus dicitur Spiritus Viuificans?* R. Quia vitam spiritualem afflat animis nostris, & toti Ecclesiæ.

I. *Quomodo id declaras?* R. Sicut corpus mortuum iacet ſine anima, ita anima mortua eſt ſine Spiritus ſancti afflatu.

Ex Lectione ſecunda.

I. *Apparuit-ne aliquando Spiritus ſanctus?* R. Apparuit in diuerſis formis.

I. *Declara:* R. In Baptiſmo Chriſti apparuit in forma columbæ; & ideo ſæpè ſic pingitur.

I. *Quare in forma columbæ apparuit?* R. Quia candor columbæ & eius puritas dona deſignant Spiritus ſancti.

I. *Quomodo adhuc apparuit?* R. In forma nubis lucidæ in Transfiguratione.

I. *Quare in die Pentecoſtes apparuit in forma ignis & linguarum?* R. Quia inſtar ignis accendebat corda & linguas Apoſtolorum, ad loquendum magnalia DEI.

Ex Lectione tertia & quarta.

I. *Dic Articulum Nonum:* R. Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

I. *Quid intelligis per Eccleſiam?* R. Congregationem omnium Fidelium ſub Chriſto & eius in terris Vicario.

I. *Eſt-*

I. *Est-ne Ecclesia visibilis?* R. Est plane visibilis sicut Sol.

I. *Quare ergò hæretici dicunt esse inuisibilem?* R. Quia cæci sunt, vel noctuæ, quæ non possunt videre Solem.

I. *Quomodo vocatur Ecclesia in Scripturis?* R. Vocatur quandoque Regnum DEI, Sponsa Christi, Hortus Sponsi, Corpus mysticum Christi.

Ex Lectione quinta.

I. *Est-ne Ecclesia vna, & non plures?* R. Est vna ratione vnitatis fidei & doctrinæ.

I. *Quinam scindunt hanc vnitatem?* R. Hęretici.

I. *Quare?* R. Quia diuersam doctrinam & fidem introducunt.

I. *Declara:* R. Non recipiunt Confessionem, nec Extremam Vnctionem, nec Sacrificium, quæ ab initio Ecclesia recepit.

Ex Lectione sexta.

I. *Quare Ecclesia dicitur Sancta?* R. Quia nonnisi Sanctitatem docet, tam in fide, quàm in moribus.

I. *Da & aliam rationem?* R. Quia in ea sunt sanctificationis mędia, Baptismus & alia Sacramenta; & caput eius Sanctus Sanctorum est.

I. *Da & tertiam rationem?* R. Quia extra eam non poteſt ſanctitas reperiri, nec ſalus.

I. *Nunquid vnusquiſq; ſaluari poteſt in ſua fide?* R. Nequaquam poteſt: Sed ſicut extra arcam non poterat eſſe ſalus: ita nec extra Eccleſiam Catholicam.

Ex Lectione ſeptima, 8. & 9.

I. *Quare vocas Eccleſiam Catholicam?* R. Quia extendit ſe ad omnes gentes, & omnia regna.

I. *Explica id plenius?* R. Nullum eſt regnum, nulla gens nobis cognita, quę religionem & fidem Eccleſiæ Catholicæ vel non habeat adhuc, vel non habuerit, vel modo non incipiat habere.

I. *Quare vocas Eccleſiam Apoſtolicam?* R. Quia ab Apoſtolis fundata, & doctrinâ & ſanguine.

I. *Quare dicitur Eccleſia Romana?* R. Quia Romana mater eſt omnium Eccleſiarum, cui Chriſtus primatum dedit.

Ex Lectione decima.

I. *Quid eſt: Credo Sanctorum communionem?* R. Hoc eſt: Credo quod Sancti & Iuſti inter ſe communicationem habeant ſpecialem

cialem, ſicut membra eiuſdem corporis.

I. *Da & alium ſenſum?* R. Hoc eſt: Credo in Eccleſia eſſe communionem Sanctorum, ſiue rerum ſanctarum.

I. *Quæ ſunt illæ res ſanctæ, in quibus communicamus.?* R. Sanguis Redemptionis, Sacramenta, dona gratiæ, verbum DEI.

I. *Eſt-ne etiam in Eccleſia communicatio bonorum operum?* R. Omnino: Nam cum ſimus membra eiuſdem corporis, ſi quis orat, aut ieiunat, non ſolum ſibi orat, vel ieiunat; ſed omnibus orat vel ieiunat.

I. *Declara ſimilitudine?* R. Apta eſt ſimilitudo membrorum: dum auris audit, oculus videt, os comedit, toti corpori inde fructus redundat.

I. *Habent-ne mali etiam fructum, in hac communione Sanctorum?* R. Habent aliquem.

I. *Oſtende:* R. Quia boni ſuis precibus ſæpe illis impetrant gratiam. Item propter ſocietatem cum bonis ſæpe euadunt afflictiones & vindiactm DEI.

I. *Habent-ne animæ purgatorij fructum & hac communione?* R. Omnino: quia cum ſint membra viua nobis coniuncta per eandem

dem Fidem, Spem, Charitatem, iuuantur satisfactionibus nostris.

Ex Lectione 11. & 12.

I. *Dic Articulum Decimum*: R. Credo remissionem peccatorum.

I. *Est-ne aliquod peccatum adeò graue quod non sit remissibile?* R. Nullum est.

I. *Quare?* R. Quia misericordia DEI & gratia ac sanguis Christi est efficacior quolibet peccato.

I. *Potest-ne esse tantus numerus peccatorum, vt illi non detur remissio?* R. Nequaquam si modo ad sit illorum contritio.

I. *Quare ergo peccata in Spiritum S. dicunt irremissibilia?* R. Quia cum obsistant gratiæ Spiritus S. per malitiam, vix contingit quod illorum eliciatur contritio.

I. *Potest-ne vnum peccatum mortale remitti sine alio?* R. Non potest.

I. *Quare?* R. Quia remissio peccati est amicitiæ cum DEO redintegratio; vno autem peccato mortali manente, non potest quis esse in gratia aut amicitia DEI.

I. *Potest-ne quis certò scire sibi remissum peccatum?* R. Non potest infallibili certitudine, nisi ex speciali reuelatione.

I. *Quo-*

I. *Quomodo ergo habebit pacem conſcientiæ?* R. Sufficit ad hoc probabilia habere teſtimonia, quæ non deſunt his qui faciunt quod in ſe eſt.

I. *Poteſt-ne homo iuſtus certus eſſe de ſua perſeuerantia?* R. Non poteſt, niſi ſpeciali reuelatione.

Ex Lectione decima tertia.

I. *Dic articulum vndecimum?* R. Credo carnis reſurrectionem.

I. *Quid intelligis per carnis reſurrectionem?* R. Reſurrectionem corporum, quando iterum animæ illis vnientur.

I. *Quomodo poterit corpus in cinerem redactum reſurgere?* R. Hoc facile eſt DEI omnipotentiæ.

I. *Da aliquod huius rei ſimbolum in rebus naturalibus?* R. Granum ſeminatum corrumpitur, putreſcit, & emoritur; poſtmodum repullulat, reuiuiſcit, & reſurgit.

Ex Lectione 14.

I. *Erit-ne idem numero corpus?* R. Erit planè idem quamuis mutatum in qualitatibus.

I. *Quomodo mutatum?* R. Quia corpora glorioſa habebunt quantitates & dotes glorioſas.

I. *Quæ sunt illæ?* R. Impassibilitas, Claritas, Agilitas, Subtilitas.

I. *In qua ætate resurgemus?* R. In ætate perfecta, in qua Christus resurrexit.

I. *In qua statura?* R. In statura quam vnusquisq; habiturus esset decenter in flore ætatis.

I. *Quare dicis decenter?* R. Quia nulli erunt ibi Gigantes vel Pygmæi, nulli gibbosi aut claudi.

I. *Nulli ne ergo pueri resurgent?* R. Non resurgent pueri, sed in ætate perfecta.

Ex Lectione 15.

I. *Quomodo fiet hæc resurrexio?* R. Fiet in voce Archangeli, quæ erit Tuba DEI.

I. *Ad quem finem canet Tuba?* R. Vt Angeli mox sint parati ad colligendos cineres mortuorum.

I. *Quid deinde?* R. Mox illam audient, qui in monumentis sunt tanquam vocem virtutis DEI.

I. *In quo loco fiet resurrectio?* R. In loco vbi maior pars corporum mortuorum iacebit, illuc & reliquæ partes adducentur ab Angelis.

I. *Quo*

I. *Quo tempore fiet resurrectio, die ac nocte?* R. Verisimile est quod hora matutina qua Christus resurrexit.

Ex Lectione decima sexta.

I. *Dic Articulum duodecimum?* R. Credo vitam æternam.

I. *Quare hic Articulus ponitur vltimus?* R. Quia vita æterna est finis noster, & præmium quod vltimo per fidem expectamus.

I. *Sunt-ne omnes creati ad illam vitam æternam?* R. Omnes planè: quia neminem DEVS creauit vt eum damnaret.

I. *An igitur omnes peruenient ad vitam æternam?* R. Non omnes.

I. *Quare non omnes?* Quia non omnes sequuntur viam & media ipsis à DEO præscripta.

I. *Erit-ne igitur defectus Dei vel gratiæ eius?* R. Nequaquam.

I. *Vnde ergo defectus?* R. Ex parte coöperationis liberi arbitrij.

Ex Lectione 17. & vltima.

I. *In quo consistit vita æterna?* R. Consistit primo in DEI clara visione.

I. *Nihil-ne præter Deum in Cælo videbimus?* R. Videbimus omnia mysteria, omnes per-

fectiones DEI, & in ipso tanquam speculo, creaturas.

I. *Quid ex hac visione sequetur?* R. Amor & fruitio æterna DEI, cum ineffabili gaudio.

I. *Quid ex amore & fruitione vltra sequetur?* R. Laus & cantus perennis, qui non finietur in sæcula sæculorum.

I. *Quare non finietur?* R. Quia visio, amor, & gaudium non finietur, ex quibus laus resultat.

Finis ex parte I. Horti Pastorum.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES, ex parte II. Horti Pastorum, ex Tract. I.

DE SPE II. VIRTVTE THEOLOGICA.

Ex Lectione prima, secunda, & tertia.

Q*Væ est virtus Christiano necessario post fidem?* R. Est Spes.

I. *Quid est Spes?* R. Est expectatio certa beati-

beatitudinis, prouenienſ ex gratia DEI & meritis noſtris.

I. *Quos effectus in nobis producit Spes?* R. Dat vires ad currendam viam DEI.

I. *Quid vltra?* R. Conſolatur mirè animam in afflictione.

I. *Quid deniq;?* R. Tollit omnem anxietatem in morte.

I. *Quomodo opponitur ſpei mundanæ?* R. Quod illa fallax ſit, & in fine hominem deſerat in anxietate.

Ex Lectione quarta & quinta.

I. *Quare dicis quod ſpes ſit certa expectatio beatitudinis?* R. Quia iuſti certitudine quadam præſtolantur futura bona.

I. *In quo fundatur illa certitudo?* R. In promiſſione DEI, qua nobis promiſit beatitudinem, & auxilium ad ſuperanda omnia obſtacula ad illam.

I. *Quare dicis quod Spes proueniat ex meritis noſtris?* R. Quia licet primario Spes ſit fundata in gratia DEI, requiruntur tamen & opera à nobis quibus ſpem noſtram certam faciamus.

I. *Sunt-ne ergo opera noſtra æternæ vitæ memoria?* R. Omnino ſunt.

I. *Licet-ne operari benè intuitu mercedis æternæ?* R. Planè licet.

I. *Licet-ne fidere in meritis?* R. Licet fidere in illis, non vt ſunt à nobis, ſed vt à diuina gratia operante in nobis.

Ex Lectione ſexta & ſeptima.

I. *Quomodo tandem confirmatur ſpes noſtra?* R. Per perſeuerantiam finalem.

I. *Vnde prouenit donum perſeuerantiæ?* R. Prouenit à DEO, & eſt ſpeciale donum.

I. *Quare?* R. Quia qui illud habet, à DEO electus eſt, & finaliter non excidet.

I. *Poſſunt-ne aliqua dari ſigna huius doni & electionis diuinæ?* R. Sunt aliqua probabilia ſigna huius electionis.

I. *Enumera aliqua?* R. Rebus diuinis delectari, contemnere mundum, & mundana, ſuſpirare ſæpe ad æterna.

I. *Repugnat-ne timor ſpei?* R. Non, ſed ordinariè ei iungitur.

I. *Quomodo, cum ſpes dicat certitudinem, timor vero incertitudinem?* R. Spes dicit certitunem ex parte diuini auxilij: timor autem reſpicit infirmitatem ex parte hominis, inconſtanter & difficulter auxilio coöperantis.

Ex Le-

Ex Lectione octaua & nona.

I. *Quænam ergo opponuntur Spei?* R. Desperatio, & Præsumptio.

I. *Est-ne desperatio graue peccatum?* R. Est inter grauissima & periculosissima.

I. *Quare?* R. Quia repugnat omnipotentiæ misericordiæ DEI, ac efficaciæ Sanguinis IESV CHRISTI.

I. *Quare dicitur periculosissimum peccatum?* R. Quia exponit hominem omnibus peccatis.

I. *Declara istud?* R. Eo quod hæc solet esse vox desperantium: *si damnandus sum, quid vereor peccare, & frui omni cupiditate.*

I. *Quomodo Præsumptio opponitur Spei?* R. Per excessum, sicut desperatio per defectum.

I. *Declara id:* R. Quia homo per præsumptionem in sola DEI misericordia fidens, Audax fit ad peccandum obiecto omni timore.

I. *Quænam est vox præsumentium?* R. DEVS est bonus & misericors, licet peccem & impleam omnia desideria mea, tandem dimittet omnia peccata mea.

I. Licet

I. *Licet-ne sub spe misericordiæ differre pœnitentiam?* R. Non licet; quia hæc spes sæpissimè est fallax.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu II.

DE ORATIONE.

Ex Lectione prima & secunda.

I. *QVis est præcipuus actus spei?* R. Est Oratio.

I. *Quid est Oratio?* R. Est mentis in DEVM eleuatio, quâ bona præcamur, vel mala depelli optamus, vel DEVM benedicimus.

I. *Est-ne Oratio bona in omni loco?* R. Planè est.

I. *Quare ergo monemur ire ad templa, vt vbi oremus?* R. Quia illa loca specialiter sunt consecrata, vt sint domus orationis.

I. *Est-ne Oratio Deo gratior in illis locis?* R. Est gratior.

I. *Quare?* R. Quia fit in præsentia Christi Meditatoris in Sacramento.

I. *Cur adhuc?* R. Quia dum oramus communi con-

ni conſortio in templo, eleuantur noſtræ preces per ſpiritum Eccleſiæ.

Ex Lectione tertia.

I. *Eſt-ne orandum omni tempore?* R. Ita.

I. *Quomodo hoc poteſt fieri?* R. Quia ore, vel opere DEVM debemus omni tempore benedicere.

I. *Quomodo opere?* R. Referendo in DEVM omnia opera noſtra, ſic enim benedicimus, & quâdam ratione oramus.

I. *Quod eſt tempus maximè oportunum ad orandum?* R. Tempus veſpertinum & matutinum.

I. *Quare matutinum?* R. Oratio matutina tergit tenebras, & aperit feneſtras diuino lumini.

I. *Quare veſpertinum?* R. Oratio veſpertina claudit cordis feneſtras inferni tenebris.

I. *Quid agendum veſpertino tempore?* R. Examinanda eſt conſcientia, & de culpis admiſsis petenda venia.

I. *Quid vltra?* R. Agendæ gratiæ de perceptis eo die beneficiis.

I. *Quid agendum matutino tempore?* R. Agendæ

dæ gratiæ pro protectione nocturna.

I. *Quid vltra?* R. Omnia diei illius cordialiter offerenda DEO.

Ex Lectione quarta, quinta, sexta, & septima.

I. *Quod tempus est postulans à nobis preces publicas & particulares?* R. Tempus afflictionis publicæ.

I. *Quod vocas tempus afflictionis publicæ?* R. Quando flagella DEI in plebem inundãt.

I. *Quæ sunt illa?* R. Pestilentia, fames, bellum.

I. *Habet-ne vim Oratio ad illa auertenda?* R. Habet maximam, si sit cum pœnitentia coniuncta.

I. *Cur dicis, si sit pœnitentia coniuncta?* R. Quia illa oriuntur ex peccatis, & ideo pœnitentia requiritur, vt illa auertantur.

I. *Quod est inter flagella Dei grauissimum?* R. Est bellum.

I. *Quare?* R. Quia omnis generis scelera solet secum vehere.

I. *Da & secundam rationem?* R. Quia plurimi in bello morientes æternum pereunt.

I. *Da & tertiam?* R. Quia solent secum vehere

here alia duo flagella, pestem & famem.

Ex Lectione octaua.

I. *Quæ sunt conditiones requisitæ ad bonam orationem?* R. Sunt multæ.

I. *Dic primam?* R. Debet primò fieri cum mentis attentione, & cordis affectu.

I. *Vnde tot distractiones in oratione?* R. Partim ex miseria naturæ & praua nostra cõsuetudine, partim ex satanæ suggestione.

I. *Quid si non sint voluntariæ?* R. Tunc non impediunt fructum orationis.

I. *Dic secundam conditionem orationis:* R. Debet fieri cum humili diffidentia sui, & firma in DEVM fiducia.

I. *In quo fundatur illa firma fiducia?* R. In misericordia DEI & meritis IESV CHRISTI.

I. *Dic tertiam conditionem?* R. Debet fieri cum perseuerantia.

I. *Quid ita?* R. Eò quod DEVS sæpè statuit non exaudire nisi diu multumq; rogatus.

I. *Quare hoc?* R. Vt probet patientiam nostram, & vt agnoscamus tanto magis nostram miseriam.

INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu III.

DE ORATIONE DOMINICA.

Ex Lectione prima.

I. *QVæ est excellentissima omnium orationum?* R. Oratio Dominica.

I. *Quare?* R. Quia illam Dominus IESVS sapientia Patris composuit.

I. *Quinam eam primò didicerunt?* R. Apostoli ex eius ore.

I. *Quare eam docuit Apostolos?* R. Vt haberent formam orandi, quam aliis traderent, duraturam vsq; in finem sæculi.

I. *Quare voluit esse adeò breuem?* R. Vt nemo quamlibet rudis excusaretur ab ea memoriter tenenda.

I. *Oportet-ne eam scire vernaculo sermone?* R. Præstaret eam à rudibus dici vernaculo sermone, vt mentem ad attentionem excitarent.

I. *Quot continet Petitiones?* R. Septem.

I. *Quid in illis septem continetur?* R. Quicquid possumus à DEO petere.

Ex Le-

Ex Lectione secunda.

I. *Dic prima verba Orationis Domini?* R. Pater noster qui es in Cælis.

I. *Vt quid sic incipit hæc oratio?* R. Vt attentionem & fiduciam filialem excitet in nobis.

I. *Quare Deus dicitur*, Pater noster? R. Propter creationem, redemptionem, iustificationem, glorificationem.

I. *Quare non dicis*, Pater mi, *sed* Pater noster? Vt significetur nos omnes eundem habere Patrem in Cælis, & pro omnibus tanquam fratribus orationem faciendam esse.

I. *Nunquid Deus est vbique?* R. Est vbique per præsentiam, essentiam, potentiam.

I. *Quare ergo dicis*: Qui es in Cælis? R. Ibi specialiter dicitur esse, quia ibi declarat gloriam suam.

I. *Quid vltra monemur illis verbis*: Qui es in Cælis? R. Leuare oculos corporis & mentis ad cælestia.

Ex Lectione tertia.

I. *Dic primam Petitionem*: R. Sanctificetur nomen tuum.

I. *Quid hic petimus?* R. Æterni Patris nostri hono-

honorem & gloriam, hoc primo loco debent petere filij.

I. *Quomodo sanctificatur nomen Dei?* R. Laudes eius decantando, quod debent facere homines ad imitationem Angelorum.

I. *Quomodo rursus sanctificatur?* R. Meditando cum reuerentia cordis, eius sanctitatem, bonitatem, amorem.

I. *Da & alium sanctificandi modum:* R. Prædicare nomen eius fidelibus vel infidelibus.

I. *Qui sunt qui maxime sanctificant nomen DEI?* R. Qui pro nomine DEI & CHRISTI persecutiones patiuntur & martyria.

I. *Quomodo illud sanctificant boni & simplices Christiani?* R. Pronuntiando cum reuerentia nomen DEI, omnia referendo ad gloriam nominis eius.

I. *Qui sunt qui inhonorant nomen Dei?* R. Blasphemantes, vel iurantes sine causa.

Ex Lectione quarta.

I. *Dic secundam Petitionem:* R. Adueniat regnum tuum.

I. *Quid per hanc petimus?* R. Petimus primò regnum gratiæ, quo DEVS modo regnat in nobis.

I. *Quo-*

I. *Quomodo regnat in nobis?* R. Per dona Spiritus sancti, per pacem interiorem, per conscientiæ securitatem.

I. *Quid vltra petimus?* R. Regnum æternæ gloriæ, quod nobis seruatur tanquam filiis.

I. *Quibus modis illud assequemur?* R. Varij enumerantur modi.

I. *Dic illos:* R. Aliqui violenter rapiunt, alij mercantur, aliqui furantur, alij ad illud compelluntur.

I. *Qui nam rapiunt?* R. Qui per varias austeritates & pœnitentias sibi & cælo vim quandam inferunt.

I. *Quinam mercantur?* R. Qui opes suas pro illo pauperibus elargiuntur.

I. *Quinam furantur?* R. Qui bona in occulto faciunt, vt regnum illud ad se attrahant.

I. *Quinam ad illud compelluntur?* R. Qui variis necessitatibus & oppresionibus afflicti, patienter ferunt, & ad DEVM referunt.

Ex Lectione quinta.

I. *Dic tertiam Petitionem:* R. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.

I. *Quid per hanc petimus?* R. Vt mandata eius & conſilia valeamus adimplere.
I. *Quid vltra?* R. Petimus omnem DEI voluntatem & beneplacitum in nobis adimpleri.
I. *Tenemur-ne velle omne quod Deus vult?* R. Tenemur velle ſub ea ratione quâ vult.
I. *Quare?* R. Quia tenemur approbare rationes diuinæ voluntatis.
I. *Quare petimus fieri voluntatem Dei ſicut in cælo & in terra?* R. Quia noſtra obedientia, vt ſit perfecta, debet imitari obedientiam Angelorum.
I. *Quomodo iſtud?* R. Sicut Angeli integrè & perfectè, promptiſsimè & infatigabiliter obediunt voluntati DEI; ita debemus & nos quo ad poſsumus.
I. *Quomodo quis perfectionem aſſequetur?* R. Si in omnibus ſe DEI voluntati conformet, etiam in aduerſis.

Ex Lectione ſexta & ſeptima.

I. *Dic Petitionem quartam:* R. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.
I. *Quid per panem hic intelligitur?* R. Quicquid neceſſarium eſt ad vitæ ſuſtentationem.

I. *Quare dicis:* Da nobis hodie? R. Quotidie petendus est ille panis, & in illo fidendum qui dare potest.

I. *Nonne etiam hic petimus panem spiritualem animæ?* R. Omninò, & quidem præcipuè.

I. *Quis est ille panis?* R. Quicquid animam reficit.

I. *Declara in particulari?* R. Verbum DEI, siue auditum, siue lectum, oratio, inspirationes, dona spiritus sancti, omnia ista panis sunt animæ.

I. *Quis est præcipuus animæ panis?* R. Eucharistia, quæ dicitur, *Panis Angelorum*.

I. *Nonne & illum hic petimus?* R. Omninò, quia illo maximè egemus.

I. *Sed quomodo potest dici panis quotidianus?* R. Quia quotidie illum sumebant olim fideles, & quotidie decet nos spiritualiter illum edere.

Ex Lectione octaua.

I. *Dic quintam Petitionem:* R. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

I. *Quid hic petimus?* R. Remissionem peccatorum nostrorum.

I. *Quorum peccatorum, venialium-ne an mortalium?* R. Vtrorumque.

I. *Quomodo venialium?* R. Quia cùm ſine his vitam tranſigere nequeamus, etiam per hanc orationem nobis remittuntur.

I. *Qua via illa adhuc remittuntur?* R. Per aſperſionem aquæ benedictæ, per piam tunſionem pectoris, per ſacrificij frequentationem.

I. *Quomodo mortalia hac oratione poſſunt nobis remitti?* R. Quia hac petitione poſſumus in nobis excitare contritionem per quam delentur.

I. *Quare peccata vocantur debita?* R. Quia coram DEO nos reos & debitores æternæ pœnæ reddunt, ſi ſint mortalia.

I. *Quare additur:* Sicut & nos dimittimus &c. R. Quia DEVS non dimittit nobis, niſi & nos ex cordibus noſtris fratri nos offendenti dimittamus.

I. *Quare dicis:* Dimitte debita noſtra? R. Quia non ſolùm debet quis orare pro ſuis peccatis, ſed & pro alienis.

Ex Lectione nona.

I. *Dic ſextam Petitionem:* R. Et ne nos inducas in tentationem.

I. *Poßumus-ne esse liberi ab omni tentatione in hac vita?* R. Imò, è contra hæc vita non est nisi tentatio super terram.

I. *Declara id:* R. Quia nullus status quamlibet sacer, est ab illa exemptus, nec vllus locus securus.

I. *Poßes-ne id ostendere exemplis?* R. Omninò; nam & Christus ipse tentatus fuit, & sanctissimi viri; ab omni licet occasione semoti in deserto.

I. *Quare ergo petimus, vt non inducamur in tentationem?* R. Petimus per id ne à tentatione superemur; ad quod necessaria est gratia.

I. *Est-ne aliquando bonum pati tentationes?* R. Est sæpe vtile.

I. *Quomodo id?* R. Ad cognoscendam propriam infirmitatem seruit tentatio, & ad nos humiliandum.

I. *Ad quid vlterius?* R. Ad augmentum meriti, dum resistimus viriliter.

Ex Lectione decima.

I. *Quæ sunt remedia contra tentationes?* R. Sunt multiplicia.

I. *Enumera aliqua?* R. Primum est feruens

oratio ad IESVM CHRISTVM, & refugium ad eius vulnera.

I. *Dic secundum*: R. Refugium ad B. Virginem, & ad eius vbera.

I. *Dic tertium*: R. Refugium ad ſanctos, maximè ad eos qui ſimiles paſſi ſunt tentationes.

I. *Dic quartum*: R. Meditatio nouiſſimorum; mortis, iudicij, inferni.

I. *Dic quintum*: R. Frequentatio Sacramentorum.

I. *Dic ſextum*: R. Fortis reſiſtentia in initiis tentationis.

I. *Dic ſeptimum*: R. Fuga & reſciſsio occaſionum.

Ex Lectione vndecima.

I. *Dic vltimam petitionem*: R. Sed libera nos à malo.

I. *Quid per hoc petimus?* R. Petimus primò liberari ab hoſte maligno.

I. *Quomodo ſic intelligis?* R. Quia hic eſt malus per excellentiam, omnis auctor malitiæ.

I. *Nunquam-ne poteſt fieri bonus?* R. Non.

I. *Quare non?* R. Quia ita eſt in malo obfirmatus,

matus, vt ab initio peccet & continuò, per totam æternitatem ſit peccaturus.

I. *Quid vltra petimus hic?* R. Liberari ab eius membris, quæ membra ſunt mali omnes.

I. *Quare dicuntur eius membra?* R. Quia influit in eos malitiam tanquam caput.

I. *Qui ſunt qui adhærent eius capiti?* R. Superbi.

I. *Quinam ſpectant ad linguam eius?* R. Blaſphemi & iuratores.

I. *Quinam ad dentes?* R. Detractores.

I. *Quinam ad aures?* R. Qui detractionibus, vel turpiloquiis delectantur.

I. *Quinam ad collum?* R. Hæretici & Hæreſiarchæ.

I. *Quinam ad manus?* R. Iniuſti & raptores.

I. *Quinam ad ventrem?* R. Guloſi & Luxurioſi.

I. *Quinam cordi eius venenato adhærent?* R. Qui inuidia & odio ſunt obfirmati.

I. *Quinam ad pedes?* R. Qui facile ad malum omne currunt.

I. *Quid deniq; petimus hac vltima petitione?* R. Liberari ab omni genere mali.

I. *Quomodo hoc?* R. A malis pœnæ & culpæ, à malis præteritis, præſentibus, & futuris; à malis huius vitæ, & à malis purgatorij & inferni.

I. *Quare finitur oratio per vocem, AMEN?* R. Hæc eſt clauſula qua concludi ſolet omnis oratio, idemq; ſignificat quod fiat.

PP Eremitarum Camal dulensium Montis Argentei Spe. Cracoviensis

INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu IV.

DE SALVTATIONE ANGELICA, *Quæ incipit* AVE MARIA.

Ex Lectione prima.

I. *IN quo locas ſpem tuam poſt Chriſtum?* R. In patrocinio Virginis MARIÆ.

I. *Quare?* R. Quia eſt Mater & Mediatrix noſtra.

I. *Eſt-ne Mater iuſtorum, an peccatorum?* R. Eſt Mater vtrorumque.

I. *Quomodo Mater peccatorum?* R. Quia illos educit à peccato, & reconciliat filio.

I. *Quomodo Mater iuſtorum?* R. Quia illos fouet & nutrit lactè gratiæ, ſicut peccatores lacte allicit miſericordiæ.

I. *Qui habet deuotionem erga virginem Mariam, poterit-ne perire?* R. Is qui habet veram & ſoli-

& solidam deuotionem erga illam, non poterit perire.

I. *Quare?* R. Quia non potest excludi à numero Filiorum DEI, qui est de Filiis MARIÆ.

I. *Quid vocas veram & solidam deuotionem erga illam?* R. Quæ imitationi virtutum eius coniuncta.

I. *Est-ne satis quotidie Rosarium persoluere, vt dicatur quis filius deuotus Virgini?* R. Non: si permanet talis in peccatis.

I. *Quid ergo vltra?* R. Oportet imitari eius pietatem, puritatem, castitatem.

I. *Quid ergo faciet talis existens in peccatis, debet-ne relinquere Rosarium?* R. Non: sed debet rogare, vt Virgo impetret sibi contritionem & conuersionem.

Ex Lectione secunda.

I. *Quæ est oratio Virgini gratissima?* R. Salutatio Angelica.

I. *Est-ne Angelus illius auctor?* R. Non est.

I. *Quare ergo dicitur Angelica?* R. Quia illius prima pars, Angeli ore fuit prompta, licet auctor fuerit Spiritus sanctus.

I. *Est-ne antiqua illa oratio?* R. Est planè ab initio nascentis Ecclesiæ. I. *Quæ-*

I. *Quare dicis esse gratissimam virgini?* R. Quia renouat gaudium, quod habuit Angelo nunciante Incarnationem Filij.

I. *Quam vtilitatem ex illa percipimus?* R. Protectionem contra satanam, & Virginis fauorem.

I. *Quot sunt partes illius orationis?* R. Sunt tres.

I. *Quæ est prima?* R. Aue gratia plena, Dominus tecum. *Hoc Angelus pronunciauit.*

I. *Quæ est secunda?* R. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

I. *Quis istud dixit?* R. S. Elizabeth repleta Spiritu Sancto.

I. *Quæ est tertia?* R. Sancta Maria, ora pro nobis peccatoribus &c.

I. *Quis hoc addidit?* R. Ecclesia à Spiritu sancto edocta.

Ex Lectione tertia.

I. *Quid significat vox illa prima*, Aue? R. Idem est quod *Salue, gaude, lætare.*

I. *Quare ad gaudium Maria excitatur?* R. Quia ineffabilis gaudij est materia Filij eius Incarnatio.

I. *Dic inuersis literis*, Aue? R. Eua.

I. *Quid per hoc significatur?* R. Quod MARIÆ

Eua

Eua opponatur, & eius gaudium ac benedictio, Euæ dolori & maledictioni.

I. *Quid significat nomen Maria?* R. Idem est quod Stella Maris.

I. *Ostende quàm hoc aptè illi quadret?* R. Quia lucet nobis in mari huius sæculi tenebroso instar sideris.

I. *Quomodo dicitur*, Gratia plena? R. Quia habet excellentissimam gratiam super omnes Angelos, & super omnes Sanctos.

I. *Habuit-ne illam semper?* R. Omnino habuit à sua conceptione, quamuis & gratiæ donis semper adaucta ab Incarnatione Filij.

I. *Quid est*, Dominus tecum? R. Hoc est, specialis DEI assistentia omni te benedictione complet.

I. *Quænam est specialis illa assistentia?* R. Est assistentia totius Trinitatis.

I. *Declara*: R. Quia Pater est cum illa tanquam filia: Filius cum illa tanquam Matre: Spiritus sanctus cum illa tanquam Sacrario suo.

Ex Lectione quarta.

I. *Quare dicitur*, Benedicta tu in mulieribus? R. Quia electa inter omnes mulieres, vt

conciperet Filium DEI.

I. *Cur adhuc?* R. Quia ſuſtulit maledictum, quod mulier prima intulit.

I. *Debet-ne Maria benedici ab omni mulierum ſtatu?* R. Omnino & ſpecialiſſimè.

I. *Quare debet benedici à mulieribus in coniugio?* R. Quia illis ſolet impetrare benedictionem pro prolibus.

I. *Quare à Virginibus?* R. Quia impetrat benedictionem pro caſtitate.

I. *Quare à Viduis?* R. Quia illis impetrat ſolatium & protectionem.

Ex Lectione quinta.

I. *Quid eſt*, Benedictus fructus ventris tui? R. CHRISTVS IESVS eſt benedictus, & omnis benedictionis auctor.

I. *Quare Ieſus dicitur fructus ventris Mariæ?* R. Quia ſicut læſione ex arbore fructus exoritur: ita ſine corruptione CHRISTVS ex Virgine.

I. *Da & aliam rationem*: R. Quia IESVS fructus eſt vitæ, quem MARIA nobis dedit, oppoſitus illi fructui mortifero, quem Eua nobis protulit.

I. *A quo eſt benedictus ille fructus?* R. A DEO ſecun-

secundum naturam humanam, à seipso secundum diuinam.

I. *A quibus in æternum est benedicendus?* R. Ab Angelis, ab hominibus, ab omnibus creaturis.

I. *Quam benedictionem expectamus ab eo?* R. Temporalem, spiritualem, æternam.

I. *Quomodo illam consequemur?* R. Si & nós ei benedixerimus ex tota anima, ex toto corde.

Ex Lectione sexta.

I. *Quæ est conclusio orationis ad Virginem?* R. Sancta Maria Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ.

I. *Quando adiecit Ecclesia hanc clausulam?* R. In concilio Ephesino contra Nestorium, qui negabat Mariam esse Deiparam. X

I. *Quomodo hæresis ista condemnatur?* R. Ex ore infantium Mariam Matrem esse DEI decantantium.

I. *Quare dicimus*, Ora pro nobis peccatoribus nunc? R. Quia quotidie, & ad pulsum cuiuslibet horæ decet hanc orationem Virgini præsentare.

I. *Ad quid hoc iuuat?* R. Vt meminerimus nos qualibet hora diuino egere auxilio, quod per Mariam impetramus.

Ex Lectione septima.

I. *Quare additur*, Et in hora mortis nostrę? R. Quia tunc maximè egemus auxilio Mariæ.

I. *Quare tunc maximè?* R. Quia hostis vrgentissimè nos premet vt in desperationem inducat.

I. *Quid iuuabit tunc nos Maria?* R. Ipsa lucem & solatium præbebit contra mortem & hostem.

I. *Quid postmodum?* R. Ipsa fælicem obitum impetrabit nobis.

I. *Quid postremo accipiemus à Maria?* R. IESVM benedictum fructum ventris sui nobis post hoc exilium ostendet.

I. *Potest-ne hæc declarare exemplis?* R. Plurimis. Nam S. Antonio, S. Mariæ Ogniacæ, S. Nicolao Tolentino, & aliis innumeris adfuit in morte.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu V.

DE

DE INDVLGENTIIS.

Ex Lectione prima & secunda.

I. QVid est Indulgentia? R. Est relaxatio pœnæ peccatis debitæ ex thesauro Ecclesiæ.

I. *Declara istud?* R. Quia in Sacramento pœnitentiæ non semper deletur tota pœna peccato debita; sed aliquid manet vel hic, vel in purgatorio soluendum.

I *Vnde nam habet Indulgentia vim relaxandi illas pœnas debitas?* R. Ex thesauro satisfactionum CHRISTI & Sanctorum.

I. *Vbi est ille thesaurus?* R. Est in præsentia DEI semper existens.

I. *Quomodo istud?* R. Quia CHRISTVS cùm tot tormenta tolerarit, & tamen peccatum non habuerit, reliquit pro nobis satisfactiones suas, & DEVS illas pro nobis reseruat.

I. *Erit-ne vnquam exhaustus ille thesaurus?* R. Non erit.

I. *Cur non?* R. Quia CHRISTI satisfactiones infiniti sunt pretij non solum pro toto mundo sufficientes, sed & pro pluribus mundis si essent.

I. *Quis habet clauem huius thesauri?* R. Summus Pontifex.
I. *A quo est illi data?* R. A Christo Domino.
I. *Quando?* R. Quando Petro dedit claues Regni Cælorum: tunc enim & illas dedit suis successoribus.
I. *Pertinet-ne potestas dandi indulgentias ad claues Regni cælorum?* R. Omnino.
I. *Declara?* R. Quia remouet pœnæ obligationem, quæ erat impedimentum, ne ingrederemur Regnum.
I. *Fuit-ne ab initio Ecclesiæ vsus indulgentiarum?* R. Fuit: licet non ita frequens.
I. *Quare non ita frequens?* R. Quia Christiani non ita tunc egebant.
I. *Quare non?* R. Quia vix peccabant, & peccata leuia magis pœnitentiis expiabãt.
I. *Quomodo id posses declarare?* R. Pro vno pecccato mortali septem anni pœnitentiæ iniungebantur.

Ex Lectione tertia.

I. *Potest-ne Pontifex pro libitu dare indulgentiam?* R. Non potest.
I. *Quid ergo requiritur?* R. Causa legitima.
I. *Quare id requiritur?* R. Quia est solùm dispen-

dispensator, & ideò debet dispensare secundum voluntatem Domini.

I. *Quæ est voluntas Domini?* R. Vt ex iusta causa relaxatio detur pœnarum, ne id potius dissipatio quàm dispensatio censeatur.

I. *An-non ergo omnes indulgentiæ sunt certæ?* R. Nos ordinariè debemus iudicare illas certas, & benè datas.

I. *Quare?* R. Quia debemus iudicare Pontificem non dare sine iusta causa, & in illis non errare.

Ex Lectione quarta.

I. *Quæ dispositio requiritur ad lucrandam indulgentiam?* R. Requiritur primò vt quis adimpleat opera iniuncta.

I. *Quæ solent esse illa?* R. Oratio, Ieiunium, Eleëmosyna, & similia.

I. *Debet-ne fieri illa in statu gratiæ?* R. Non est omnino necesse, qnamuis sit consultius.

I. *Nonne igitur requiritur status gratiæ ad lucrandam indulgentiam?* R. Vltimũ opus in quo indulgentia percipitur, debet fieri in statu gratiæ.

Ex Lectione quinta.

I. *Iuuant*

I. *Iuuant-ne indulgentiæ animas defunctorum?*
R. Certum est quod sic.

I. *Iuuant-ne animas damnatas vel beatas?*
R. Non iuuant.

I. *Quare non?* R. Quia vtræq; sunt incapaces indulgentiarum.

I. *Declara:* R. Quia Beatæ non habent debitum vllum: damnatæ habent debitum insolubile.

I. *Quomodo iuuantur animæ in Purgatorio:* R. Per modum suffragij.

I. *Quid hoc significat:* R. Nos offerimus de thesauro Ecclesiæ satisfactionem, vt DEVS eis suffragetur.

I. *Non ergo prodest eis infallibiliter?* R. Imò, quia promisit CHRISTVS acceptare hanc satisfactionem.

I. *Quid si anima pro qua oramus non sit in purgatorio?* R. Tunc nec fraudamur merito nostro, & magis indigenti fit applicatio.

Finis ex Tomo secundo.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES, ex Tom: III. Tract: I.

De Cha-

DE CHARITATE.

TERTIA THEOLOGICA VIRTUTE.

Ex Lectione prima.

I. *QVæ est tertia Virtus maximè necessaria Christiano?* R. Est Charitas.

I. *Quare vocas maximè necessariam?* R. Quia est prima inter virtutes & dona Dei.

I. *Potest-nè Fides & Spes esse sine Charitate?* R. Potest.

I. *Potest-ne Charitas esse sine Fide & Spe?* R. Non potest; Imò non sine gratia Dei.

I. *Quicunque habet Charitatem, erit ne saluus?* R. Quicunque moritur in Charitate erit saluus.

I. *Quare?* R. Quia, qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

I. *Quid sunt aliæ Virtutes sine Charitate?* R. Sunt sicut corpus sine anima.

I. *Quare hoc?* R. Quia sunt mortuæ sine Charitate, & per Charitatem viuificantur.

Ex Lectione secunda.

I. *Quid est Charitas?* R. Est virtus, quâ diligimus Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos.

I. *Quid eſt diligere Deum ſuper omnia ex toto corde?* R. Eſt potius velle perdere omnia quàm amorem Dei.

I. *Poteſt-ne quilibet amare Deum ſuper omnia?* R. Æquè poteſt rudis & idiota, ac ſapiens & doctus.

I. *Quomodo dignoſcere poſſumus, an Deum toto corde diligamus?* R. Iiſdem ſignis, quibus judicamus, an amicum verè diligamus.

I. *Quæ ſunt illa?* R. Amicum diligimus, ſi de illo ſæpe cogitamus, ſi domum, menſam, colloquium ejus amamus, & ſecreta ei aperimus.

I. *Eſt-ne idem de Deo?* R. Ferè idem.

I. *Declara:* R. Si de eo cogitamus libenter, eius domum, Eccleſiam frequentamus, eiuſqe menſam in Communione, eique cor aperimus in confeſſione, tunc eum amamus.

I. *Qui ſunt qui maximè eum ſe amare oſtendunt?* R. Qui pro eo mori parati ſunt, ſicut martyres.

Ex Lectione tertia.

I. *Quare tenemur amare etiam proximum?* R. Quia eſt viua imago Dei.

I. *Da & aliam rationem*: R. Quia ſanguine Filii DEI emptus eſt, & à DEO dilectus.

I. *Da & tertiam*: R. Quia ſumus membra eiuſdem corporis, & fratres eiuſdem Patris ac Matris.

I. *Quid eſt diligere illum ſicut ſeipſum?* R. Eſt bonum ei deſiderare ſicut ſibi-ipſi, eique ſuccurrere ſicut vellet quis ſibi fieri, & omnem felicitatem ei exoptare.

I. *Quomodo pateſcit vera Charitas noſtra ergà proximum?* R. Si non ſolùm verbo, ſed & opere & veritate eum iuvemus, ſi infirmitates eius ſupportemus.

I. *Quomodo adhuc?* R. Si gaudeamus in eius proſperis, & compatiamur in eius adverſis.

I. *Quomodo maximè amamus?* R. Si quantum in nobis eſt, à via erroris & peccati eum reducere conemur.

I. *Tenemur-ne inimicum diligere?* R. Tenemur.

I. *Quomodo, cum ſolùm dicatur proximus diligendus?* R. Nomine proximi cùm ſolùm intelligitur amicus, ſed omnis homo qui aliqua ratione nobis eſt coniunctus.

I. *Qua ratione nobis inimicus eſt coniunctus?*

R. Est frater ab Adamo, est frater & in Christo.

I. *Quæ signa dilectionis tenemur inimico exhibere?* R. Tenemur ei subvenire saltem in necessitate, tenemur & pro eo orare quando pro omnibus oramus.

EX TRACTATV II.

De Decem Præceptis Decalogi.

Ex Lectione prima.

I. *PEr quem dedit nobis Deus Præcepta Decalogi?* R. Per Moysen.

I. *Vbinam dedit?* R. In monte Sinai, cum igne, tonitru, & fulgure.

I. *Quare cum his signis terribilibus voluit dare?* R. Vt ad illorum observationem strictam populum commoneret.

I. *Vbinam primò scripta sunt hæc Præcepta?* R. In tabulis lapideis.

I. *Quis ea scripsit?* R. Digitus Dei.

I. *Tenentur-ne Christiani omnes hæc Præcepta memoriter scire?* R. Tenentur saltem substantiam illorum scire.

I. *Quare?* R. Quia sunt instar regulæ quam quisque profitetur in baptismo.

I. *Quo-*

I. *Quomodo poterit quis facilius ea obseruare?* R. Si coram oculis suis, ea sæpe proponat tanquam speculum vitæ.

I. *Quomodo tanquam speculum vitæ?* R. Quia in illis conspicienda est facies conscientiæ nostræ, an maculosa sit, an pura.

I. *Quâ ratione id fiet?* R. Examinando an ea obseruauerimus, an verò ab eis recesserimus.

I. *Sunt-ne hæc præcepta omnibus obseruatu possibilia?* R. Sunt possibilia, imò & facilia.

I. *Quomodo facilia?* R. Quia mandata ejus grauia non sunt, cum auxilio eius & gratia.

Ex Lectione secunda.

I. *Quis est fructus legis Decalogi?* R. Coërcere homines à malo tanquam frænum.

I. *Quis secundus fructus?* R. Instigare ad bonum tanquam calcar.

I. *Quis fructus tertius?* R. Benedictio spiritualis & temporalis.

I. *Quomodo id intelligis?* R. Quia promisit Deus benedictionem obseruantibus præcepta, maledictionem transgredientibus.

I. *In quo consistit illa benedictio?* R. In conscientiæ tranquillitate & suauitate.

I. *In quo exteriùs?* R. In bonorum temporalium copia, & alijs exterioribus bonis.

I. *Quis est vltimus fructus obseruationis Decalogi?* R. Vita æterna.

I. *Quomodo hoc ostendis?* R. Ex verbis Christi: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

I. *Quid seruat Deus transgressoribus?* R. Maledictionem & mortem æternam.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu III.

DE PRÆCEPTIS PRIMÆ TABVLÆ.

Ex Lectione Prima.

I. DIc primum Præceptum: R. Ego sum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me, &c.

I. *Quid nobis mandatur hoc Præcepto?* R. Deum adorare, & illi soli seruire seruitute perfecta.

I. *Quare tenemur illi seruire?* R. Ratione creationis, conseruationis, redemptionis, & infinitis alijs titulis.

I. *Est-ne satis eum adorare?* R. Non: sed vltra oportet per fidem, spem, & charitatem perfectam in eum tendere.

I. *Qui-*

I. *Quinam peccant contra hoc Præceptum?* R. Qui in fide vacillant, vel errant.

I. *Qui vlterius?* R. Qui corde fidem retinentes, ore negant ob metum mortis.

I. *Qui adhuc?* R. Qui hæreticos libros legunt.

Ex Lectione secunda.

I. *Est-ne superstitio prohibita per hoc Præceptum?* R. Est omnino.

I. *Quos vocas superstitiosos?* R. Qui verbis certis volunt aliquid operari vltra naturam.

I. *Ostende exemplis.* R. Qui habent verba vel chartas, quibus sanant febres & alios morbos.

I. *Da & aliud?* R. Qui habent scripta, quibus putant se non posse vulnerari.

I. *Peccant-ne tales grauiter?* R. Peccant mortaliter post monitionem.

I. *Est-ne licitum ferre Agnum Dei benedictum?* R. Omnino est licitum.

I. *Quare?* R. Quia Ecclesia hoc instituit contra maleficia.

I. *Est-ne licitum ferre Euangelium S. Ioannis?* R. Est licitum quando id fit ex pietate.

I. *Est*

I. *Est-ne licitum per cribrum velle deprehendere furem?* R. Non est licitum, sed est diabolicum.

I. *Est-ne licitum fidem ponere in somnijs?* R. Non est licitum, sed est vanissimum.

I. *Quale peccatum committunt, qui per artes attrahunt puellas ad amandum?* R. Grauissimum mortale, quia est maleficum.

I. *Est-ne licitum ligaturis impedire matrimonium?* R. Est etiam id abominabile maleficium.

Ex Lectione tertia.

I. *Quid prohibetur quando dicitur*: NON FACIES TIBI SCULPTILE: R. Prohibentur idola.

I. *Prohibentur-ne imagines Dei aut Sanctorum?* R. Nullatenus; immò has honorare pium est.

I. *Adquid seruiunt imagines?* R. Ad instructionem rudium, & ad excitationem piorum.

I. *Quomodo excitantur pij per imagines?* R. Ad imitationem Sanctorum; & ad honorem eorum.

I. *Declara id exemplo*: R. Christus misit imaginem suam Regi Abdagaro.

I. *Da & aliud*: R. Christus impressit imaginem suam linteo Veronicæ, & syndoni sepulchri.

I. Qua-

I. *Quare id fecit?* R. Vt tanquam pietatis pignora hæc in Ecclesia custodirentur.

Ex Lectione quarta.

I. *Prohibetur-ne cultus reliquiarum?* R. Non prohibetur.

I. *Quare?* R. Quia reliquiæ sunt pignora sacra Patronorum quibus debemus cultum.

I. *Vnde hoc probas?* R. Quia Angeli honorant etiam reliquias & corpora Sanctorum.

I. *Ostende id?* R. Angeli corpus S. Catharinæ sepelierunt cum honore.

I. *Da & aliud exemplum:* R. Angeli corpori S. Clementis sacellum ædificarunt in medio maris.

I. *Nunquid & DEVS vult Sanctorum ossa honorari?* R. Planè vult, quia custodit ossa eorum resuscitanda in gloria.

I. *Quinam abhorrent à reliquijs?* R. Dæmones, & eorum instinctu hæretici.

I. *Quare dæmones?* R. Quia ad præsentiam reliquiarum sæpe ejecti sunt è corporibus obsessis.

Ex Lectione quinta & sexta.

I. *Dic ſecundum Præceptum?* R. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.

I. *Eſt-ne aliquando licitum iuramentum?* R. Eſt licitum, ſi habeat tres conditiones.

I. *Quæ eſt prima?* R. Vt fiat cum veritate.

I. *Quæ eſt ſecunda?* R. Vt fiat de re licita.

I. *Quæ eſt tertia?* R. Vt fiat ex iuſta cauſa.

I. *Quale peccatum eſt falſum iurare?* R. Eſt peccatum mortale, Deo iniurioſum maximè.

I. *Quare hoc?* R. Quia inuocatur tanquam falſus teſtis.

I. *Si quis iuret alterum occidere, tenetur-ne iuramento?* R. Non tenetur, quia iurauit illicitum.

I. *Quale peccatum eſt ſine neceſſitate iurare?* R. Eſt peccatum veniale.

I. *Eſt-ne licitum dicere:* Hoc eſt tam verum quam Deus? R. Nunquam eſt licitum.

I. *Quare?* R. Quia nihil debet cum DEO comparari; nec aliquid poteſt eſſe tam verum quam Deus.

I. *Eſt-ne licitum dicere, dæmon me auferat, ſi non dico verum?* R. Non eſt licitum, ſed eſt iuramentum execratorium.

I. *Quinam peccant contra hoc Præceptum ?* R. Quicunque iuramenta sua non seruant.

I. *Qui adhuc ?* R. Qui Deum vel Sanctos blasphemant.

I. *Dic & alios ?* R. Qui per caput, per mortem, per Sanguinem Christi iurant.

I. *Qui vlterius ?* R. Qui semper in ore diabolum vel Deum habent, pestem, vel mortem.

I. *Quid de illis qui faciunt vota Deo aut Sanctis ?* R. Peccant hi mortaliter si non adimplent.

I. *Declara in particulari :* R. Sic multi vouent peregrinationes, & postea non adimplēt.

I. *Quid si quis diu differat cum voluntate adimplendi ?* R. Etiam tunc peccant, nisi excuset necessitas.

I. *Vnde hoc probas ?* R. Quia scriptum est: Si votum voueris Domino, ne moreris reddere.

Ex Lectione octaua.

I. *Dic tertium Præceptum Decalogi ?* R. Memento vt diem Sabbati sanctifices.

I. *Quando incepit obseruatio Sabbati ?* R. Ab initio mundi.

I. *Declara?* R. Quia tunc benèdixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum.
I. *Quare?* R. Quia in illo ab omni opere cessarat.
I. *Nunquid Moysi primò datum fuit illud Præceptum?* R. Fuit tunc renouatum, & strictiori præcepto sancitum.
I. *Quare renouatum?* R. Quia tempore idololatriæ & Ægyptiacæ seruitutis, quodammodo obliuioni erat traditum.
I. *Quomodò strictiori Præcepto sancitum?* R. Quia pœna mortis adiecta fuit.
I. *Quomodo ostendis valdè strictum fuisse Præceptum?* R. Quia ne quidem eo die licebat cibos coquere.
I. *Quare fuit Sabbati dies mutata in Dominicum?* R. In memoriam resurrectionis Christi, quæ in Dominica fuit.
I. *Est-ne obseruatio diei Dominicæ antiqua?* R. Est planè ab Apostolis.
I. *Quomodo id ostendis?* R. Quia S. Ioannes dicit se fuisse in spiritu in Dominica die.
I. *Habet-ne illa dies adhuc alia mysteria?* R. Habet plurima.
I. *Ostende;* R. Fuit dies primus creationis, fuit

fuit & dies Natiuitatis Christi, fuit & dies Pentecostes, eodem die multi dicunt Christum iudicaturum.

I. *Quare dies Sabbati est solemnis Virgini?* R. Quia mansit illo die in ea lumen fidei, alijs omnibus vacillantibus.

Ex Lectione nona.

I. *Quomodo oportet sanctificare diem Dominicum?* R. Est multiplex modus eum sanctificandi.

I. *Dic primum modum?* R. Gratiarum actio & oratio specialis debet illo die fieri.

I. *Pro quibus beneficijs debet fieri gratiarum actio?* R. Pro beneficiis tota hebdomada acceptis.

I. *Dic secundum modum sanctificandi?* R. Confessione peccatorum, vel saltem contritione, maximè sanctificatur dies iste.

I. *Dic tertium:* R. Audiendo deuotè Sacrificium Missæ.

I. *Dic quartum:* R. Sacram Communionem percipiendo, quod solebant olim Fideles singulis Dominicis.

I. *Dic & alios modos:* R. Audiendo verbum Dei, vacando pijs operibus, abstinendo à peccatis eo die.

Ex Lectione decima.

I. *Quinam peccant contra hoc Præceptum?* R. Omnes penè ſtatus hominum.

I. *Dic aliquos:* R. Primò Nobiles, qui totos fere dies feſtos venationi impendunt.

I. *Quos ſecundo loco numeras?* R. Domicellas, quæ totum tempus matutinum ornatui vano inſumunt.

I. *Quos tertio loco recenſes?* R. Mercatores cõputibus ſuis maxima parte diei vacantes.

I. *Dic & alios:* R. Opifices & plebei ebrietati in feſto indulgentes.

I. *Quid de choreas ducentibus in die feſto?* R. Illis vacare non eſt feſtum vt oportet ſanctificare.

I. *A quo duxerunt choreæ originem?* R. A dæmone, ſeu ſerpente.

I. *Quare?* R. Quia ſicut ille, ſic & illi, qui choreas ducunt, circuitus ſolent facere.

I. *Quare maximè prohibentur choreæ?* R. Ob periculum libidinis, quod ſolet intermiſceri.

INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu IV.

DE

DE PRÆCEPTIS SECVNDÆ TABVLÆ.

Ex Lectione prima.

I. DIc *quartum Præceptum*: R. Honora Patrem & Matrem, vt sis longæuus super terram.

I. *Quid intelligis per honorem illis debitum?* R. Reuerentiam & amorem cum obedientia.

I. *Quem amorem eis debemus, quamq; reuerentiam?* R. Interiorem & exteriorem.

I. *Quare dicis exteriorem & interiorem?* R. Quia non sufficit quod eos non oderis, sed oportet solatium & amorem eis exhibere.

I. *Qui sunt qui in hoc deficiunt?* R. Qui asperè & toruè circa eos se gerunt.

I. *Qui adhuc?* R. Qui infirmitates & defectus eorum in senectute non supportant.

I. *Quam obedientiam eis debemus?* R. Obedientiã promptam in eis quæ non sunt contra Deum.

I. *Debemus-ne solum eis obedientiam?* R. Debemus eis & sustentationem in necessitate.

I. *Quamdiu debet durare obedientia & amor parentum?* R. Vsque ad mortem, & post mortem.

I. Quo-

I. *Quomodo post mortem?* R. Quia oportet eorum vltimam adimplere voluntatem.

I. *Quomodo adhuc?* R. Oportet honorabilem eis ſepulturam prouidere, & pijs operibus iuuare.

I. *Quinam contra hoc peccant?* R. Qui bona relicta diſſipant, & parentum vix meminerunt.

I. *Qui adhuc?* R. Qui litibus impediunt executionem voluntatis eorum.

I. *Quam benedictionem habent filij obedientes?* R. Temporalem, ſpiritualem, & æternam.

I. *Quomodo temporalem?* R. Promittitur eis vita longa ſuper terram.

I. *Quid vltra?* R. Felicitas quoque in filijs & prole, ſi coniugium ineant.

I. *Quomodo ſpiritualem?* R. Quia multiplicem gratiam à DEO, cuius vicem gerunt parentes impetrant.

I. *Quomodo æternam?* R. Quia benedictio illis data ab initio permanebit vſque ad nouiſſimum diem.

I. *Quam maledictionem incurrunt filij inobedientes?* R. Temporalem, ſpiritualem quoque & æternam.

I. *De-*

I. *Declara*: R. Quia sæpè finiunt vitam ante tempus; & quidem infeliciter.

Ex Lectione secunda.

I. *Per Patrem hic intelligitur-ne solùm corporalis?* R. Non solùm, sed & spiritualis.

I. *Qui sunt Patres spirituales?* R. Pastores, Confessarij & Sacerdotes.

I. *Ad quid obligamur erga illos?* R. Eos honorare & amare, eorumq; monitis obtemperare.

I. *Quid vltra?* R. Pro ipsis orare, & de illis benè loqui.

I. *Quinam peccant contra eos?* R. Qui illis obloquuntur, eorum defectus euulgant & amplificant.

I. *Quæ maledictio istis obtinget?* R. Eadem, quæ Cham, filio Noë, qui irridebat nuditatem Patris.

I. *Debetur-ne honor malis sacerdotibus?* R. Debetur propter Christum quem repræsentant.

I. *Est-ne benedictio à Sacerdotibus expetenda?* R. Omnino, quia illam dant in persona Christi.

Ex Lectione tertia & quarta.

I. *Quinam vltra intelliguntur per Patres?* R. Seniores & omnes Superiores, tam spirituales quàm temporales.

I. *Debemus-ne illis obedientiam?* R. Debemus Senioribus propter ætatem reuerentiam; debemus Superioribus propter potestatem obedientiam.

I. *Quos vocas Superiores?* R. Magistros, Dominos, Principes, Magistratus.

I. *Quinam peccant contra eos?* R. Qui vel contemnunt, vel malè de ipsis loquuntur, aut irrident.

I. *Ad quid tenentur Superiores erga subditos?* R. Eos instruere, corrigere & bonum exemplar dare.

I. *Quomodo peccant hac in re Domini?* R. Coram ipsis iurando, illicita ipsis mandando, ad vindictam, furta, & similia, eos instigando.

I. *Quomodo peccant famuli & ancillæ erga heros?* R. Contemptim de illis loquēdo & quæ domi fiunt, diuulgando.

Ex Lectione quinta.

I. *Dic quintum Præceptum?* R. Non occides.

I. *Quid hic prohibetur?* R. Omne homicidium, & iniusta sanguinis effusio. I. *Qua-*

I. *Quare dicis iniusta?* R. Quia quando est licitum occidere.

I. *Declara:* Patet in iudice, in bello iusto.

I. *Est-ne homicidium graue peccatum?* R. Est grauissimum, inter ea quæ fiunt in proximum.

I. *Declara:* R. Quia dicitur clamare in cælum.

I. *Quare hoc?* R. Quia sanguis iniustè effusus attraxit de cælo vindictam.

I. *Quomodo hoc ostendis?* R. In sanguine Abel clamante contra Cain.

I. *Quomodo iterum ostendis grauitatem homicidij?* R. In speciali remorsu, qui semper sequitur homicidas.

I. *Quomodo id declaras?* R. In Cain, qui nullibi erat tutus.

I. *Potest-ne manere occultum homicidium?* R. DEVS solet illud propalare, homicidà nihil cogitante ea de re.

I. *Quale homicidium est maximum?* R. Eorum qui nobis maximè sanguine sunt coniuncti, vt est Pater, Frater, &c.

I. *Potest-ne quis quandoq; interficere licitè seipsum?* R. Non potest.

I. *Potest-ne quis sibi optare mortem?* R. Potest ex iusta causa.

I. *Quænam est iusta causa?* R. Si optetur à Deo, propter Deum, vt quis sit liber à peccatis.

I. *Quandonam est illicitum mortem sibi optare?* R. Ex impatientia, desperatione, aut alia passione inordinata.

Ex Lectione sexta & septima.

I. *Quinam peccant contra hoc Præceptum?* R. Quicunq; procurrant abortum.

I. *Qui adhuc?* R. Matres, quæ licet non intendant vel procurẽt, tamen sunt causa.

I. *Quomodo possunt esse causa?* R. Per nimiam intemperantiam, per nimiam iræ exardescentiam, per nimis grauia onera.

I. *Quomodo mariti in hoc possunt peccare?* R. Nimia sæuitia vxores grauidas tractando.

I. *Quæ adhuc mulieres hîc peccant?* R. Quæ per negligentiam infantes in lecto suffocant.

I. *Qui postremo censentur hîc peccare?* R. Quicunq; habent vel rixas, vel odia in proximum.

I. *Est-ne licitum duellum inter Nobiles?* R. Nullo modo est licitum, sed omnibus Christianis est abominandum.

I. *Quare?* R. Quia est internecio corporum & animarum.

Ex Le-

Ex Lectione octaua.

I. *Dic sextũ Præceptum:* R. Non mœchaberis.

I. *Quid hic prohibetur?* R. Omne peccatum immunditiei & fornicationis.

I. *Quare illud est detestandum?* R. Quia violat in nobis templum Spiritus sancti.

I. *Da & aliam rationem:* R. Quia & membra nostra sunt membra Christi, & ideo non debent seruire contaminationi.

I. *Cuinam iniurius est, qui hoc peccatum committit?* R. Consecrationi & Vnctioni acceptæ in Baptismo & Confirmatione.

I. *Da & aliam rationem cur hoc peccatum sit fugiendum:* R. Ob turpitudinem & ignominiam, quam secum vehit.

I. *Da & tertiam:* R. Ob vermem conscientiæ acerbissimè post torquentem.

Ex Lectione nona.

I. *Est-ne adulterium grauius fornicatione?* R. Est multò grauius.

I. *Quare?* R. Quia violat matrimonium, & iniuriam facit Sacramento.

I. *Est-ne adulter periurus?* R. Est, quia violat fidem iuratam.

I. *Quæ alia mala sequuntur ex adulterio?* R. Tur-

batio pacis domesticę, incertitudo prolis, odia, homicidia.

I. *Quænam sunt adulterorum pœnæ?* R. Exclusio à regno & gehennæ ignis in futuro.

I. *Quæ in præsenti?* R. Maledictio parentum & proliũ, in vindictam paterni criminis.

I. *Quæ vlterius?* R. Olim apud Iudæos lapidatio erat decreta adulterio.

Ex Lectione decima & vndecima.

I. *Quæ sunt aliæ species hic prohibitæ?* R. Incestus, Stuprum, Sacrilegium, Raptus, Peccatum contra naturam.

I. *Quid est incæstus?* R. Est commixtio inter consanguineos vel affines.

I. *Quid est stuprum?* R. Est violenta virginis defloratio.

I. *Quid est sacrilegium?* R. Est commixtio cum persona Deo sacra, vel etiam commixtio quarumlibet personarum in loco sacro.

I. *Quid est raptus?* R. Est cùm persona vi abducitur in aliquem locum causa libidinis.

I. *Quid est peccatum contra naturam?* R. Est peccatum pollutionis voluntariæ, vel peccatum Sodomiæ.

I. *Sunt-ne hæc grauia peccata?* R. Sunt grauissima.

I. *Quo-*

I. *Quomodo id declaras?* R. Ex vindicta diuina super Sodomam & Gomorrham.

I. *Quæ fuit illa vindicta?* R. Ignis & sulphur, totiusq; regionis amœnissimæ vastatio abominanda.

Ex Lectione duodecima.

I. *Dic septimum Præceptum?* R. Non furtum facies.

I. *Est-ne furtum peccatum mortale?* R. Est mortale in re notabili.

I. *Quomodo id ostendis?* R. Quia dicit Apostolus quod fures & rapaces regnum Dei non possidebunt.

I. *Quare hoc peccatum dicitur periculosum?* R. Quia qui semel est illo implicatus, non potest se extricare.

I. *Quam obligationem specialē habet hoc peccatum?* R. Habet obligationem restitutionis.

I. *Quare?* R. Quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

I. *Damnantur-ne multi propter hoc peccatum?* R. Damnantur plurimi.

I. *Quare hoc?* Quia multi fraudant alios & licet postea pœniteant, non restituunt.

I. *Quare multi antea diuites, postea fiunt pauperes?* R. Hoc fit speciali Dei permissu. I. Quo-

I. *Quomodo hoc?* R. Quia sæpe contingit quod nimis citò, & non ita iustis modis ditescunt.

I. *Quid hominem solet deducere ad paupertatem?* R. Bona aliena commixta proprijs.

I. *Sunt-ne plures species furti?* R. Sunt plures.

I. *Enumera aliquas:* R. Est furtum simplex, est rapina, est sacrilegium.

I. *Quid est furtum simplex?* R. Est occulta acceptio, & detentio rei alienæ.

I. *Quid est rapina?* R. Est acceptio violenta rei, præsente Domino.

I. *Quid est sacrilegium?* R. Est acceptio rei sacræ, vel etiam rei non sacræ de loco sacro.

I. *Quid vltra hic nomine furti intelligitur?* R. Omne iniustum lucrū, aut iniusta negotiatio.

Ex Lectione decima tertia.

I. *Quinam hoc Præceptum transgrediuntur?* R. Magni & parui, & omnis ferè status homines; Pauperes & diuites.

I. *Quare id dicis de magnis?* R. Quia sæpe Principes variis exactionibus plebem iniustè onerant.

. *Quid dicis de Magistratibus?* R. Illi bona publica

blica malè administrant, & in proprium commodum.

I. *Quid de Officiarijs?* R. Illi rapaces esse solent, & sanguisugæ plebis.

I. *Quid de Iudicibus, Aduocatis, Procuratoribus?* R. Ipsi excoriant litigantes, & iniusta sæpe exigunt stipendia.

I. *Declara furta in priuatis familijs:* R. Mercatores sustentant familias suas iniustis lucris.

I. *Quid de filijs familias, seruis, ancillis?* R. Filij à parentibus, famuli & ancillæ multa corradunt ab heris.

I. *Ostende furta inter plebeios:* R. Artifices sunt fraudulenti in suis operibus, & operarij in suis dietis.

I. *Quid dicis de agricolis?* R. Inuadunt mutuò terminos agrorum, defraudant decimas, defraudant & heros.

I. *Quid dicis de pauperibus?* R. Hi sub specie paupertatis multa committunt furta.

Ex Lectione decima quarta.

I. *Dic octauum Præceptum:* R. Non falsum testimonium dices.

I. *Est-ne graue peccatum falsum testimonium?* R. Est planè graue.

I. *Quare?* R. Quia falſus teſtis peccat in Deum, in Iudicem, in Reum, in Rempublicam.

I. *Quomodo corrumpuntur falſi teſtes?* R. Amore, odio, timore, pecunia ſeu cupiditate.

I. *Nunquid Deus ſolet illos punire?* R. Multos punit publicâ & cæleſti vindictâ.

I. *Prohibetur-ne hic ſolùm falſum teſtimonium?* R. Prohibetur & omnis peruerſio iudicij.

I. *Quomodo fit peruerſio iudicij?* R. Per Iudices iniquos, iniquas ſententias pronunciantes.

I. *Quid debent hi timere?* R. Iuſtum Iudicem Deum, & eius vltionem.

I. *Per quos fit adhuc peruerſio Iudicij?* R. Per Aduocatos, Procuratores, Notarios, falſa immiſcentes.

I. *Peccant-ne hi omnes contra hoc Præceptum?* R. Omnino peccant, & ſæpe tenentur ad reſtitutionem.

Ex Lectione decima quinta.

I. *Quid hic vltra dicta prohibetur?* R. Temerarium iudicium de proximis.

I. *Quomodo hic prohibetur?* R. Quia eſt quoddam quaſi teſtimonium falſum, quod ſibi homo reddit de proximo.

I. *Eſt-*

I. *Est-ne iudicium temerarium mortale peccatum?* R. Est mortale, si in re graui firmiter iudices ex leuibus indicijs.

I. *Quare hoc?* R. Quia apud teipsum censeris vilipendere proximum sine causa sufficienti.

I. *Vnde solet prouenire iudicium temerarium?* R. Ex odio, & inuidia, aut ex corde malitiâ infecto.

I. *Da & aliam radicem temerarij iudicij?* R. Superbia sæpe illius dat occasionem, quando aliquis alijs iustior vult videri.

I. *Quæ sunt remedia temerarij iudicij?* R. Se & sua vitia inspicere.

I. *Quare hoc dicis remedium?* R. Quia vanum est alios rigidè iudicare, & vitia nostra non agnoscere.

I. *Quare non est facilè iudicandum de alijs?* R. Quia est vsurpare iudicium Dei.

I. *Da & aliam rationem:* R. Quia signa, quæ putamus certa, sæpe sunt falsissima.

Ex Lectione decima sexta.

I. *Dic & alia peccata contra hoc Præceptum:* R. Omne mendacium repugnat huic Præcepto.

I. *Quare repugnat?* R. Quia eſt falſum quoddam teſtimonium.

I. *Eſt-ne mendacium ſemper mortale peccatum?* R. Non ſemper, quia quoddam eſt officioſum vel iocoſum.

I. *Quod vocas officioſum?* R. Quod in nocumentum alterius non vergit, ſed tibi eſt proficuum.

I. *Quod vocas iocoſum?* R. Quod animi gratia dicitur, nulli nec officiens, nec proficiẽs.

I. *Eſt-ne tunc peccatum?* R. Tunc eſt veniale.

I. *Dic & alia peccata contra hoc Præceptum:* R. Suſurratio & adulatio huic præcepto repugnat.

I. *Quid eſt ſuſurratio?* R. Quando quis per obloquutiones tollit amicitiam inter aliquos.

I. *Eſt-ne hoc peccatum graue?* R. Omnino graue eſt, quia odit Dominus ſeminantes diſcordias.

I. *Quare & hic prohibetur adulatio?* R. Quia continet falſum teſtimonium, attribuendo alicui quod non habet.

I. *Eſt-ne graue peccatum?* R. Eſt valde pernicioſum apud Magnates.

I. *Quare hoc?* R. Quia sæpe instigat ad malè faciendum, vel detinet in peccatis.

Ex Lectione decima septima.

I. *Dic & aliud peccatum ordinarium contra hoc Præceptum:* R. Est peccatum detractionis.

I. *Quid est detractio?* R. Est denigratio alienæ famæ.

I. *Est-ne istud etiam graue peccatum?* R. Est sanè malum pestilens.

I. *Quare?* R. Quia lædit famam, quam aliqui existimant plusquám vitam.

I. *Quænam mala ex detractione oriri solent?* R. Odia, rixæ, homicidia.

I. *Sufficit-ne confiteri peccatum detractionis?* R. Vltra hoc oportet famam restituere.

I. *Quare hoc?* R. Quia damnum illatum proximo debet resarciri.

I. *Quomodo fiet restitutio famæ?* R. Si falsum dixeris, illud reuocando.

I. *Sed quid si verum dixerit quis?* R. Si non erat aliquo modo publicum, etiam tenetur famam restituere.

I. *Quomodo hoc fiet?* R. Eximendo illam opinionem quam impressit apud alios.

I. *Peccat-ne detractorem audiens?* R. Si voluntariè audit, peccat.

I. *Quare peccat?* R. Quia inducit ad detrahendum, vel sibi complacet in detractione.

I. *Quare censetur hoc graue peccatum?* R. Quia alieno malo oblectari, est contra charitatem.

I. *Quid ergo faciendum dum alij detrahunt?* R. Bonum est exteriùs ostendere nos non libenter audire.

I. *Est-ne hoc satis?* R. Si putas fore fructum, oportet & reprehendere.

I. *Quid agendum si quis inferior?* R. Oportet saltem cor tunc contra detractionem stabilire, & in corde compati.

I. *Vndenam fit quod aliqui tam facile detrahant?* R. Aliqui faciunt ex superbia, vt se præ aliis ostentent.

I. *Dic & aliam rationem:* R. Alij faciunt ex odio & ira, vt se vindicent.

I. *Dic & tertiam rationem:* R. Quidam ex vanitate & periculosa leuitate, quicquid audiunt, in aliorum aures effundunt.

I. *Peccant-ne hi grauiter?* R. Omnino, quia debent aduertere periculū famæ aliorum.

Ex Lectione decima octaua.

I. *Dic nonum Præceptum*: R. Non concupisces vxorem proximi tui.

I. *Dic decimum Præceptum*: R. Non concupisces rem neque agrum proximi tui, &c.

I. *Nunquid hoc alijs Præceptis continetur?* R. Imò, quia Præceptum, *Non mœchaberis*, &c. *Non furtum facies*, idem prohibent.

I. *Quare ergo idipsum repetitur?* R. Quia aliqui putarent illis Præceptis solùm prohiberi actum externum.

I. *Quid ergo volunt hæc duo præcepta?* R. *Significant* prohibitam esse voluntatem vel adulterandi, vel furandi.

I. *Est-ne prohibita etiam delectatio in fornicatione aut adulterio cogitato?* R. Omnino est prohibita, si sit voluntaria.

I. *Quare prohibetur, si quis non habeat voluntatem deducendi ad effectum?* R. Quia est delectatio de re illicita.

I. *Est-ne ergo omnis cogitatio rei illicitæ peccatum?* R. Si non sit voluntaria, non est peccatũ: Sed est meritum, si resistimus.

I. *Sed si quis sit negligens in resistendo?* R. Tunc est veniale peccatum, si absit delectatio voluntaria.

I. *Quando ergo est mortale peccatum?* R. Si quis aduertens consentit, vel voluntariè delectatur.

Reliqua de tactibus, osculis, & similibus concupiscentiæ actibus require in Tractatu de Luxuria.

Finis ex Libro tertio.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu I. Lib. IV.

DE SS. ECCLESIÆ SACRAMENTIS.

Ex Lectione prima, & secunda.

I. *Quis est Auctor Sacramentorum?* R. Christus.

I. *Quid est Sacramentum?* R. Est inuisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram iustificationem institutum.

I. *Quando Christus instituit Sacramenta?* R. Instituit partim imminente passione, partim post passionem.

I. *Cur instituit?* R. In testimonium sui in nos amoris, & in remedium nostræ salutis.

I. *Quot sunt Sacramenta?* R. Septem, Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium.

I. *Sacramenta quibus ex partibus componuntur?* R. Ex rebus veluti materia, ex verbis velut forma, v. g. in Baptismo aqua est materia, verba sunt forma; Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

I. *A quo sunt materia & forma Sacramentorum determinata?* R. A Christo.

Ex Lectione 3. 4. 5. 6. 7. 8.

I. *Quis est Principalis effectus Sacramentorum?* R. Gratia DEI.

I. *Fuerunt-ne in omni statu Sacramenta?* R. Etiam in lege Naturæ & Moysis fuerunt sacramenta.

I. *Quis est Secundarius effectus Sacramentorum?* R. Character impressus in anima.

I. *Quot Sacramenta imprimunt Characterem?* R. Tria: Baptismus, Confirmatio, Ordo.

I. *Quis est minister Sacramentorum?* R. Ordinariè est Sacerdos.

I. *Quid requiritur in suscipiente Sacramenta?* R.

In adulto requiritur intentio & consensus.

I. *Quid sentis de malo ministro?* R. Malus conficit quidem Sacramentum, & administrat; sed conficiendo & administrando grauiter peccat.

EX TRACTATV II. DE BAPTISMO.

Ex Lectione 1. 2. 3. 4.

I. *Quæ est materia Baptismi?* R. Est aqua naturalis.

I. *Quæ sunt vtilitates aquæ benedictæ?* R. Venialium expiatio, insidiarum diabolicarum & damnorum depulsio.

I. *Quæ est forma Baptismi?* R. Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

I. *Quinam sunt capaces Baptismi?* R. Omnes homines, etiam infantes qui saluari nequeunt sine baptismo.

I. *Potest-ne suppleri Baptismus aquæ?* R. Potest etiam in paruulis.

I. Quo

I. *Quomodo hoc oſtendis?* R. Theologi triplicem diſtinguunt Baptiſmum, Fluminis ſeu aquæ, Flaminis ſeu Spiritus S. & Sanguinis ſeu martyrij.

I. *Quid eſt Baptiſmus flaminis?* R. Quando adultus habet in ſe deſiderium efficax baptiſmi cum contritione & amore Dei ſuper omnia.

I. *Quid eſt Baptiſmus Sanguinis?* R. Eſt martyriũ quo effunditur ſanguinis pro Chriſto.

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. *Qui ſunt effectus Baptiſmi?* R. Remiſſio peccati originalis & actualis, infuſio gratiæ, virtutum ac donorum Dei, omnis remiſſio pœnæ peccati.

I. *Tollit-ne Baptiſmus concupiſcentiam & pœnalitates huius vitæ?* R. Non tollit.

I. *Debent-ne Patrini in Baptiſmo adhiberi?* R. Ita ex ordinatione Eccleſiæ.

I. *Quod eſt officium Patrinorum?* R. Nomen puero imponere, eumq; in ſuam curam ſuſcipere.

I. *Quotuplices ſunt Baptiſmi cœremoniæ?* R. Triplices, quædam ſunt præcedentes, vt inſufflatio, Crux in fronte, & pectore Ba-

ptizandi, Sal, Orationes, Saliuæ. Comitantes, vt abrenuntiatio Satanæ, Vnctio, Interrogatio, an credat in S. Trinitatem, an velit Baptiſari.

Subſequentes, vt Chriſmatis vnctio, veſtis candida, cereus accenſus.

EX TRACTATV III. DE CONFIRMATIONE.

Ex Lectione 1. 2. 3.

I. *Confirmatio eſt-ne Sacramentum?* R. Ita.

I. *A quo, & quando eſt inſtitutum?* R. A Chriſto in vltima cæna.

I. *Quæ eſt materia confirmationis?* R. Eſt Chriſma ſiue oleum balſamo mixtum ab Epiſcopo benedictum.

I. *Quæ eſt forma Confirmationis?* R. Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Ex Lectione 4. 5. 6.

I. *Qui ſunt effectus Confirmationis?* R. Gratia & character.

I. *Qui ſunt miniſtri huius Sacramenti?* R. Soli Epiſcopi.

I. Qui

I. *Qui sunt capaces huius Sacramenti?* R. Omnes Baptizati.

I. *Quæ sunt Cæremoniæ Confirmationis?* R. Manus impositio, alapæ inflictio, Patrinus.

EX TRACTATV IV.

DE EVCHARISTIA.

Ex Lectione 1, 2. 3. 4.

I. *Quis & vbi instituit hoc Sacramentum?* R. R. Christus, in vltima cœna.

I. *Quæ sunt causa institutionis huius Sacramenti?* R. Vt esset memoriale, 1. Mirabilium perfectionum Dei. 2. Mysteriorum veteris Testamenti ac noui.

I. *Quomodo Christus in hoc Sacramento præsens est?* R. Verè, realiter & substantialiter.

I. *Quæ mirabilia continentur in hoc Sacramento?* R. 1. Transubstantiatur panis & vinum in corpus & sanguinem Christi. 2. Accidentia remanent sine subiecto. 3. Corpus Christi sub his speciebus est, æquè magnum ac in cælo. 4. Est totum sub hostia, atque etiam sub qualibet parte hostiæ. 5. Est simul in diuersis locis.

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. *Quæ est materia Eucharistiæ?* R. Panis & vinum.

I. *Quænam forma?* R. Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.

I. *Quo cultu est adoranda Eucharistia?* R. Cultu latriæ, qui Deo debetur.

I. *Recte-ne peculiari festo Eucharistia colitur?* R. Recte. 1. Vt cultu exteriore interiorem testemur, fidemq; nostram profiteamur. 2. Vt passionis mortisq; Christi victoriam rememoremur. 3. Vt sit imitatio solemnitatis Agni in cælo peragendi.

I. *Quinam sumunt hoc Sacramentum?* R. Christus præceptum dedit fidelibus illud sumendi.

Ex Lectione 8. 9. 10. 11. 12.

I. *Quæ dispositio requiritur ad Eucharistiam sumendam?* R. Communicans debet esse in statu gratiæ.

I. *Impedit-ne peccatum veniale accessum ad Eucharistiam?* R. Non impedit: sed tamen impedit effectum aliquem huius Sacramenti.

I. *Quomodo quis se geret post Communionem?* R. Obe-

Obeundæ sunt orationes iaculatoriæ, gratiarum actio in Deum, aliiq; pij affectus excitandi.

I. *Est-ne à Laicis vtraq; species sumenda?* R. Fuit olim concessa, iam vero vsus Calicis iustis de causis subtractus.

I. *Quænam sunt illæ causæ?* R. Consulitur Reuerentiæ Sacramenti, ne interdum sanguis Christi effundatur. 2. Sunt quidam abstemij. 3. In quibusdam locis est magna vini penuria. 4. Ne simpliciores credant Christum non contineri integrè sub altera specie.

Ex Lectione 13. 14. 15.

I. *Est-ne Eucharistia etiam sacrificium?* R. Est sacrificium quod nos Missam vocamus.

I. *Potest-ne probari Missam esse sacrificium nouæ legis?* R. Etiam ex scripturis veteris & noui testamenti.

I. *Cur institutū est hoc sacrificium?* R. 1. Per hoc exhibetur Deo maximus cultus. 2. Hoc prodest Beatis ad honorem & gaudium.

I. *Est-ne valde excellens nostrum sacrificium?* R. Est excellentissimum.

I. *Vnde illud probas?* R. Nostrum sacrificium

Est

est Holocaustum, Est Eucharisticum & Imperatorium & Propitiatorium.

EX TRACTATV V. DE POENITENTIA.

Ex Lectione 1. 2. 3.

I. *Quis instituit hoc Sacramentum?* R. Christus post Resurrectionem suam.

I. *Est-ne hoc Sacramentum necessarium?* R. Est necessarium relapsis post Baptismum.

I. *Quid confert Pœnitentia?* R. Remittit peccata, & restituit merita priora & gratiam.

I. *Quid excitat ad Pœnitentiam?* R. Gratia, sine qua homo pœnitere nequit, & quam DEVS nulli negat.

I. *Quot sunt partes Pœnitentiæ?* R. Tres sunt eius partes materiales, Contritio, Confessio, & Satisfactio.

Ex Lectione 4. 5. 6.

I. *Quid est Contritio?* R. Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.

I. *Quæ requiruntur ad perfectam contritionem?* R. Dolor seu detestatio peccati. 1. Ex sincero

cero cordis affectu. 2. Ob Deum offensum ceu summum Bonum. 3. Cum spe veniæ. 4. Cum firmo proposito emendationis.

I. *Quando contritio excitanda?* R. Simul ac peccauimus.

I. *Quid est Confessio?* R. Est accusatio integra peccatorum facta sacerdoti in ordine ad absolutionem virtute clauium obtinendam.

I. *Quæ vtilitates sunt Confessionis?* R. 1. Confessione fit facilior peccatorum remissio & salutis adeptio. 2. Superbia reprimitur & sui notitia acquiritur. 3. Fructus ex ea in Rempub. redundat. v. g. humanæ vitæ societas & honestas conseruatur.

I. *Quando præceptum Confessionis obligat?* R. In periculo probabili mortis. 2. Ante susceptionem seu administrationem Eucharistiæ. 3. Omnes semel in anno obligantur.

I. *Qui sunt fructus frequentis Confessionis?* R. Crebra confessione; 1. Acquiritur puritas cordis. 2. Augmentum gratiæ & gloriæ. 3. Augmentum virtutum. 4. Securitas salutis.

Ex Lectione 7. 8. 9. & 10.

I. *Quæ ſunt conditiones Confeſſionis?* R. Vt ſit 1. Præmeditata examine præmiſſo. 2. Sit humilis. 3. Pura & ſincera. 4. Integra, quoad numerum & ſpeciem peccatorum; & quoad circumſtantias aggrauantes vel mutantes peccati ſpeciem.

I. *Impedimenta integræ Confeſſionis quænam ſunt?* R. 1. Pudor. 2. Timor. 3. Spes rei terrenæ, & reſpectus humanus. 4. Deſperatio vitæ melioris.

I. *Quid eſt Satisfactio?* R. Satisfactio, quam imponit Confeſſarius poteſtate clauium.

I. *Dic formam Sacramenti Pœnitentiæ?* R. Ego te abſoluo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

I. *Quod eſt munus pœnitentis perceptâ abſolutione?* R. Gratias agat Deo. 1. quod ſe dignatus fuerit vocare ad pœnitentiam. 2. Quod tam facili remedio peccata abluere dignetur. 3. Statim impleat pœnitentiam. 4. Firmum concipiat propoſitum emendationis. 5. Conuenit vt ſibi-ipſi pœnitens quaſdam ſatisfactiones imponat.

EX TRACTATV VI.
DE EXTREMA VNCTIONE.
Ex Lectione 1. 2. 3. 4. 5. 6.

I. *Quid est extrema vnctio?* R. Est Sacramentum per vnctionem olei ab Episcopo benedicti, & orationem sacerdotis vt ægris applicetur ad salutem animæ, vel etiam corporis, à Christo institutum.

I. *Cur dicitur extrema vnctio?* R. Quia Christianus in tribus Sacramentis vngitur, in Baptismo, per Chrisma in vertice, per Oleum sacrum, in scapulis & pectore, in Confirmatione in fronte, in hoc Sacramento in quinque sensuum organis. Deinde, quia extremo loco post omnia Sacramenta datur.

I. *Quis est capax extremæ vnctionis?* R. Fidelis infirmus graui infirmitate.

I. *Quis est minister huius Sacramenti?* R. Sacerdos.

I. *Quæ est materia extremæ Vnctionis?* R. Oleum ab Episcopo benedictum.

I. *Quæ est forma?* R. Per istam vnctionem & piissimam suam misericordiam indulge-

at tibi DEVS, quicquid deliquisti per visum.

I. *Qui sunt effectus huius Sacramenti?* R. Est 1. auxilium & robur animæ ægroti contra mortis difficultates. 2. Remissio peccatorum venialium & reliquiarum. 3. Sanitas corporis, si animæ saluti expediat.

EX TRACTATV VII. DE ORDINE.

Ex Lectione 1. 2. 3. 4. 5. 6.

I. *Recte-ne Ordines in Ecclesia sunt instituti?* R. Rectè, nam hæc Ecclesia habet similitudinem cum cælesti.

I. *Quis est auctor huius Sacramenti?* R. Christus Dominus.

I. *Quot sunt Ordines in Ecclesia?* R. Septem: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcisatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Præsbyteratus.

I. *Dic rationem huius numeri septenarij:* R. Ostiarij officium est custodire ostium templi; Lectoris, legere clarè & distinctè veteris ac noui testamenti libros. Exorcistæ, nomen

men Dei inuocare ſuper energumenos. Acolyti, materiam in Euchariſtia ad Altare præſentare. Subdiaconi, Epiſtolæ lectio, vaſorū ſacrorum præparatio. Diaconi, Euchariſtiæ diſpenſatio, Euangelij recitatio. Præsbyteri, Euchariſtiæ confectio, & Sacramentorum adminiſtratio.

I. *Quid dicis de prima Tonſura?* R. Non eſt Ordo, ſed ſolùm diſpoſitio ad Ordines.

EX TRACTATV VIII.

DE MATRIMONIO.

Ex Lectione prima.

I. *A quo Matrimonium eſt inſtitutum?* R. A Deo in Paradiſo.

I. *Quo tempore Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum?* R. Scriptura expreſſè non dicit: probabile eſt inſtituiſſe in nuptiis Canæ Galilææ.

I. *Quid Chriſtus huic Sacramento addidit?* R. Tria: Vnius cum vna inſolubile corporum & animorum vinculum. 2. Significationem amoris Chriſti & Eccleſiæ. 3. Specialem gratiam, quæ ritè diſpoſitis datur.

I. *Cur instituit hoc Sacramentum?* R. In remedium onerum matrimonij. 2. In remedium concupiscentiæ. 3. Ad mutuum amorem & insolubile vinculum.

I. *Quid constituit Matrimonium?* R. Consensus partium, licet copula non accedat, nec eius voluntas.

Ex Lectione 2. 3. 4.

I. *Est-ne Continentia præferenda Matrimonio?* R. Omnino, quia iste status perfectior est, & securior matrimoniali.

I. *Est-ne status Matrimonij temere eligendus?* R. Non: nam agnosci debet Dei voluntas in statu deligendo.

I. *Vnde oriuntur infausta matrimonia?* R. Ex causis 1. ex defectu examinis personæ, cum qua viuendum. 2. Ex defectu orationis & consultationis cum Deo. 3. Ex inæqualitate viri & vxoris. 4. Ex mala vita præterita.

I. *Quæ dispositio requiritur ad Matrimonium ineundum?* R. Accedens ad coniugium debet 1. esse in statu gratiæ. 2. Rectam intentionem habere. 3. Se disponere piis operibus.

Ex Le-

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. *Quid interrogatur ante Matrimonium?* R. Quæritur 1. An votum castitatis emiserint. 2. An fidem alteri dederint. 3. An sit parentum consensus.

I. *Qui sunt ritus Matrimonij?* R. Dexteræ contrahentium stolâ colligantur. 2. Annulus in quartum digitum sponsæ inseritur. 3. Mutuus consensus exprimitur. 4. Sacerdos coniugibus benedictionem impertitur. 5. Instruuntur conuiuia nuptialia.

I. *Reperitur-ne Matrimonium spirituale?* R. Etiam, atq; animæ cum Christo.

I. *Quomodo hæc desponsatio fit?* R. Per votum Castitatis.

I. *Qualis debet esse amor coniugalis?* R. Debet esse perfectus secundũ Deum, v. g. quod alteri est gratum, procurare bene de se mutuo loqui, se sufferre inuicem, solari, iuuare.

Ex Lectione 8. 9. 10.

I. *Peccatur-ne in amore coniugali?* R. Peccatur 1. per excessum, si ex amore tali Præceptum Dei violatur. 2. Per defectum, si amor iste desinat in zelotypiam.

I. Quæ

I. *Quæ castitas in coniugio seruanda*: R. Hæc 1. excludit omnem alterius hominis concupiscentiam. 2. Restringit immoderatum vsum coniugij, sola voluptatis causa.

I. *Quot sunt bona matrimonij?* R. Tria: Proles, fides tum in cohabitatione, tum in reddendo debito, Sacramentum in vinculo charitatis & insolubilitate.

Ex Lectione 10. 11. 12. 13.

I. *Quæ circa prolem præstanda sunt parentibus?* R. 1. Possunt prolem desiderare. 2. Cura eius habenda in vtero. 3. Ab vtero vt baptizetur.

I. *Quæ instructio prolis incumbit parentibus?* R. 1. Proles vbi adolescit in pietate instituenda. 2. Corrigenda est.

I. *Qualis debet esse correctio?* R. Discreta sit, & monitioni iunctum vitæ bonæ exemplum.

I. *Quod est munus parentum erga proles?* R. Parentes 1. proles Deo offerant. 2. Doceant orare. 3. Instruant in rebus fidei & pietatis. v. g. Doceat mandata Dei, confitendi modum.

Ex Lectione 14. 15. 16.

I. *Est-*

I. *Est-ne solubile Matrimonium Christianorum?* R. Consummatum est omnino insolubile: non consummatum solui potest per alterutrius ingressum religionis.

I. *Sunt-ne aliæ per quas soluitur Matrimonium quoad thorum?* R. Solui potest 1. ob alterutrius adulterium. 2. Ob furorem aut sæuitiam. 3. Ob lapsum in hæresin. 4. Ob graue periculum animæ.

I. *Quæ sunt impedimenta matrimonij?* R. Impedimenta sunt duplicia: 1. Impedientia tantùm. 2. Impedientia & dirimentia.

I. *Quæ sunt impedientia & dirimentia?* R. Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen, Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas, Si sis Affinis, si forte coire nequibis.

Hæc iungenda vetant connubia: facta retractant.

I. *Quæ sunt impedientia tantùm?* R. Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum. Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

I. *Quando soluitur matrimonium?* R. Morte alterius coniugis.

I. *Manet-ne libertas tunc ad nuptias vlteriores?* R. Manet.

I. *Est-ne viduitas matrimonio perfectior?* R. Est illa, quæ amore Continentiæ & propter Deum suscipitur.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES,

ex Tuba Sacerdotali.

EX TRACTATV I.

DE PRIMO VITIO CAPITALI.

Ex Lectione 1. 2. 3. 4.

I. *QVot enumerantur vitia capitalia?* R. Septem.

I. *Dic primum:* R. Primum est Superbia.

I. *Quid est Superbia?* R. Est peruersæ celsitudinis inordinatus appetitus.

I. *Quare vocas vitium capitale?* R. Quia est radix, initium, & caput multorum peccatorum.

I. *Quare Superbia recensetur primum inter omnia capitalia?* R. Quia fuit primum peccatum Angeli in Cælo, & hominis in Paradiso.

I. *Quâ pœnâ illud peccatum punit Deus?* R. Quia secta-

sectatores suos vult eleuare in cælum superbia, detrahitur illa cum ipsis ad inferos.

I. *Quare superbia vocatur altissimum peccatum?* R. Quia erigit se conta Deum, vsque ad eius contemptum.

I. *Quare etiam dicitur profundissimum peccatum?* R. Quia vsq; ad profundissima peccata mergit hominem.

I. *Declara id:* R. Deducit homines vsque ad hæreses, & atheismum, qui est centrum peccatorum.

Ex Lectione quinta.

I. *Habet-ne superbia aliquas sub se species, siue filias?* R Habet plurimas.

I. *Recense aliquas:* Vana gloria, iactantia, ambitio, hypocrisis.

I. *Quid est vana gloria?* R. Est appetitus inordinatus humanæ laudis.

I. *Quid est iactantia?* R. Est inanis & stulta suiipsius prædicatio, dicendo de se plusquam est, vel plusquam decet.

I. *Est-ne gloria vana & iactantia ordinariè peccatum mortale?* R. Non est.

I. *Quando ergo censetur mortalis iactantia vel glo-*

riatio? R. Quando quis iactat se vel gloriatur de peccato mortali.

I. *Quando adhuc?* R. Quando redundat in graue præiudicium proximi.

I. *Declara exemplo:* R. Sic Medicus imperitus iactans suam scientiam potest ægris grauiter nocere.

I. *Quid est ambitio?* R. Est honoris seu præeminentiæ immoderata cupiditas.

I. *Est-ne illa periculosa?* R. Est omnino periculosa, si quis indignus ambiat officia, vel Ecclesiastica, vel etiam politica.

I. *Quid est hypocrisis?* R. Est simulatio, quâ quis se iustum simulat, vel iustiorem, quàm sit.

Ex Lectione 6. 7.

I. *Dic & alias species seu filias superbiæ:* R. Arrogantia, tumor, præsumptio, despectus aliorum.

I. *Quare vocas filias superbiæ?* R. Quia ex superbia tanquam matre originem ducunt.

I. *Quid est arrogantia?* R. Est existimatio sui cum insolentia & temeritate coniuncta.

I. *Quid est tumor?* R. Est, ex arrogantia, mentis inflatio superba.

I. *Quid*

I. *Quid est Præsumptio?* R. Est cùm quis corde elato attentat aliquid ſupra vires.

I. *Cuinam ſimiles ſunt qui alios contemnunt?* R. Superbo Phariſæo, qui dicebat: *Non ſum ſicut cæteri hominum.*

I. *Dic & alias adhuc ſuperbiæ filias:* R. Pertinacia, diſcordia, inobedientia, ingratitudo.

Ex Lectione octaua.

I. *Eſt-ne ſuperbia valde commune vitium?* R. Eſt omnino commune.

I. *Declara:* R. Quia Nobilibus eſt agnata ſuperbia, item diuitibus, item in ſexu muliebri illa regnat.

I. *Declara vlteriùs:* R. Arrogantia eſt communis iuuenibus, eſt etiam frequens inter doctos, immò interſerit ſe inter pios.

I. *Quomodo hoc?* R. Quia gloriari ſolent in doctrina ſua, aut pietate.

Ex Lectione 9. 10. 11.

I. *Quænam ſunt remedia contra ſuperbiam?* R. Sunt multiplicia.

I. *Dic primum:* R. Conſiderare ſeipſum, & propriam ſuam originem, & vilitatem.

I. *Dic ſecundum:* R. Conſiderare nos nihil habere niſi à Deo, vnde in nullo poſſumus gloriari.

I. *Dic & tertium*: R. Considerare breuem finem omnium rerum huius sæculi in morte.

I. *Dic quartum*: R. Considerare pœnas futuras superborum.

I. *Dic quintum*: R. Considerare maledictiones in hac vita, & in morte ipsis contingentes.

Ex Lectione duodecima.

I. *Quæ est virtus opposita superbiæ?* R. Est humilitas.

I. *Quis eam nos primò edocuit?* R. Christus Dominus verbo & exemplo.

I. *Quando verbo?* R. Quando dixit beatos esse pauperes, siue humiles in spiritu.

I. *Quando exemplo?* R. Quia totâ vitâ sua humilitatem coluit, à præsepio vsque ad crucem.

I. *Quæ sunt filiæ humilitatis?* R. Contemptus sui, fuga laudis, agnitio proprij peccati, & propriæ infirmitatis.

I. *Dic & alias filias*: R. Patientia in iniurijs, modestia in incessu & verbis, abnegatio proprij iudicij & voluntatis.

INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu II.

DE AVARITIA.

Ex Lectione 1. 2. 3.

I. *DIC secundum capitale vitium*: R. Est auaritia.

I. *Quare vocatur capitale?* R. Quia ipsa etiam est caput multorum peccatorum.

I. *Quid est Auaritia?* R. Est immoderatus appetitus exteriorum bonorum.

I. *Quotuplex est Auaritia?* R. Est duplex.

I. *Declara*: R. Vna opponitur liberalitati, altera iustitiæ.

I. *Quænam opponitur iustitiæ?* R. Quando quis ex immoderata cupiditate etiam aliena inuadit, vel detinet.

I. *Quænam liberalitati solùm?* R. Quando quis nimis amat propria, nimis ardenter opes quærit.

I. *Est-ne peccatum mortale Auaritia?* R. Quando quis aliena quærit vel retinet ex auaritia, solet esse mortalis.

I. *Qua-*

I. *Quare auaritia vocatur idolorum seruitus?* R. Quia auari solent plùs amare pecuniam quàm Deum.

I. *Quomodo hoc?* R. Quia ob amorem pecuniæ negligunt Deum & diuina.

I. *Quorum malorum solet esse causa auaritia?* R. Periuriorum, Sacrilegiorum, homicidiorum, proditionum, & multorum similium.

Ex Lectione 4. 5. 6. 7. 8.

I. *Habet-ne auaritia multas species & filias?* R. Habet multas.

I. *Enumera aliquas:* R. Obduratio & immisericordia erga inopes, inquietudo, neglectus diuinorum, fiducia in rebus præsentis sæculi.

I. *Dic & alias:* R. Vsura, fraudulentia, mendacium, periurium.

I. *Quare vocas hæc omnia filias auaritiæ?* R. Quia ex auaritia ortum habent.

I. *Sunt-ne adhuc aliæ eius filiæ?* R. Sunt; & quidem omnium pessimæ.

I. *Dic ergo totam genealogiam:* R. Fraudulenta decimatio, furtum, rapina, sacrilegium, oppressio proximi, mercenariorum, defraudatio, simonia. Ex Le-

I. *Est-ne auaritia vitium valde commune?* R. Est omnino, quia omnis ferè statûs & conditionis homines inficit.

I. *Declara in particulari:* R. Magnates & Nobiles per auaritiam opprimunt subditos.

I. *Dic vlteriùs:* R. Iudices, Aduocati, Procuratores exsugunt tenuiores.

I. *Quid de mercatoribus?* R. Ob auaritiam sæpe exponunt periculo vitam suam.

I. *Quid de diuitibus huius sæculi?* R. Domum domui, agrum agro copulant ex auaritia.

I. *Sunt-ne & pauperes auari?* R. Sunt multi.

I. *Quomodo possunt esse auari cùm non habeant?* R. Quia multi eorum ardent cupiditate, licet careant facultate.

Ex Lectione 10. 11. 12.

I. *Quænam sunt remedia contra auaritiam?* R. Sunt multiplicia.

I. *Dic primum:* R. Considerare multiplices maledictiones, quæ in scriptura in auaros intorquentur.

I. *Dic secundum:* R. Consideratio mortis, quando omnes opes finientur.

I. *Dic tertium:* R. Consideratio hæredum ingratorum, quibus opes coaceruantur.

I. *Dic quartum:* R. Conſideratio bonorum æternorum, ad quæ creati ſumus.

I. *Dic quintum:* R. Conſideratio remorſuum conſcientiæ, & infælicis mortis in auaris:

I. *Dic ſextum:* R. Conſideratio pœnarum futuri ſæculi.

Ex Lectione decima tertia.

I. *Quænam virtutes opponuntur auaritiæ?*
R. Sunt multæ.

I. *Dic primam:* R. Liberalitas ei opponitur, quæ nouit diſtribuere opes.

I. *Dic ſecundam:* R. Iuſtitia ei opponitur, quæ reddit vnicuiq; quod ſuum eſt, nec auarè concupiſcit aliena.

I. *Dic tertiam.* R. Miſericordia & beneficentia in egenos, quæ exhaurit opes, vt in futuro theſauriſet.

I. *Dic quartam:* R. Paupertas ſpiritûs, quæ contemnit omnia præſentia, nec illis inhæret.

INTERROGATIONES & RESPONSIONES, ex Tractatu III.

DE LVXVRIA.

Ex Lectione 1. 2. 3.

I. DIC *tertium vitium capitale?* R. Est Luxuria.

I. *Quid est Luxuria?* R. Est impuræ libidinis inordinatus appetitus.

I. *Quare dicitur capitale vitium?* R. Quia caput & radix plurimorum malorum & vitiorum.

I. *Est-ne Luxuria graue peccatum?* R. Est coram Deo & hominibus fœtidissimum.

I. *Vnde declarari potest eius grauitas?* R. Ex variis vindictis à Deo propter eam immissis.

I. *Quænam illæ vindictæ?* R. Diluuium, euersio Sodomæ & Gomorrhæ, & similes.

Ex Lectione quarta.

I. *Qui sunt gradûs Luxuriæ?* R. Cogitatio praua, delectatio, consensus, operis patratio, frequentatio.

I. *Quid deinde sequitur?* R. Consuetudo mali operis, ac quædam quasi necessitas.

I. *Quid denique?* R. Desperatio melioris vitæ, & pernicies æterna.

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. *Habet-ne Luxuria multas species, vel filias?* R. Habet plurimas.

I. *Recense aliquas.* R. Fornicatio, adulterium, stuprum, sacrilegium, raptus, incestus, sodomia, peccatum contra naturam. *De his diximus in Præcepto 6.*

I. *Recense & alias?* R. Aspectus impudicus, turpiloquium, cantus lubricus, oscula, contactus.

I. *Quid sunt omnia ista?* R. Sunt Luxuxiæ species imperfectæ.

I. *Sunt-ne hæc peccata mortalia?* R. Sunt sæpe talia.

I. *Quare?* R. Quia ordinantur ad actum perfectum luxuriæ.

Ex Lectione octaua.

I. *Est-ne hoc vitium valde commune?* R. Est communissimum in omni statu.

I. *Quare hoc dicis?* R. Quia subuertit Reges & Principes, Sapientes & idiotas, mares & fœminas, Sacerdotes & Religiosos.

I. *Vnde hoc fit?* R. Quia naturæ nostræ libido est insita, nisi superetur.

I. *Potest-ne ergo superari?* R. Omnino per auxilium Dei.

I. *Dat-ne omnibus Deus auxilium istud?* R. Non negat piè petentibus.

Ex Lectione 9. 10. 11.

I. *Quæ sunt remedia contra hoc peccatum?* R. Sunt multiplicia.

I. *Dic primum.* R. Consideratio maledictionum quas DEVS in Scripturis intorquet in luxuriosos.

I. *Dic secundum.* R. Consideratio fœditatis & vilitatis huius peccati.

I. *Dic tertium.* R. Consideratio indignitatis, quam inducit homini Christiano, contra eius consecrationem & vnctionem.

I. *Dic quartum.* R. Consideratio remorsûs conscientiæ, voluptatem fœdam subsequentis.

I. *Dic quintum.* R Consideratio mortis, iudicij & aliorum nouissimorum.

I. *Dic sextum.* R. Oratio feruens, cum humilitate coniuncta, ad Christum & Virginem.

I. *Dic septimum.* R. Consideratio Dei vt Iudicis præsentis, & Angeli testis, vt non pecces.

Ex Lectione duodecima.

I. *Quæ est virtus opposita luxuriæ?*
R. Continentia & Castitas.

I. *Quis eam nos edocuit?* R. Christus & Maria eius Mater, semper Virgo.

I. *Quid est continentia & castitas?* R. Est virtus sub iugo rationis refrænans impetum libidinis.

I. *Quare illa dicitur Deo & Angelis grata?* R. Quia est imitatio quædam vitæ Angelicæ, cælestis, & diuinæ.

I. *Quomodo potest castitas conseruari?* R. Oratione, ieiunio, humilitate, & corporis mortificatione.

I. *Quotuplex est Continentia, vel Castitas?*
R. Est triplex.

I. *Ostende:* R. Est virginalis, vidualis, coniugalis.

INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu IV.

DE INVIDIA.

Ex Lectione 1. 2. 3.

I. DIC *quartum vitium capitale:*
R. Est Inuidia.

I. *Quid est inuidia?* R. Est tristitia de bono alterius, quia æstimatur diminuere gloriam propriam.

I. *Quare dicitur vitium capitale?* R. Quia plurima vitia solet generare.

I. *Quis est author primus inuidiæ?* R. Satan.

I. *Quare?* R. Quia inuidit homini gratiam & gloriam in Paradiso.

I. *Quare tunc ei inuidit?* R. Quia homo debebat esse hæres gloriæ, quam perdiderat.

I. *Est-ne ergo inuidia graue vitium?* R. Est planè diabolicum.

I. *Cur hoc dicis?* R. Quia inuidia & superbia sunt primarij characteres quibus agnoscuntur filij diaboli.

I. *Quo charactere agnoscuntur Filij Dei?* R. Humilitate & charitate.

I. *Quænam mala producit inuidia?* R. Mala innumerabilia.

I. *Dic aliqua:* R. Parricidia & fratricidia sunt eius fructus.

I. *Quomodo hoc ostendis?* R. In Cain, qui ex inuidia fratrem occidit.

I. *Da & aliud Exemplum:* R. In fratribus Ioseph

ſeph, qui voluerunt eum occidere, & poſtea eum vendiderunt.

I. *Da exemplum exemplorum*: R. In Filio Dei, quem inuidia cruci affixit.

Ex Lectione quarta.

I. *Habet-ne multas inuidia filias?* R. Habet plurimas.

I. *Dic aliquas*: R. Odium, ſuſurratio, detractio, iudicium temerarium, praua interpretatio.

I. *Dic & alias*: R. Contentio, contemptus, conſpiratio, calumnia, conuitium, improperium, & ſimilia.

I. *Dic omnino propriè dictas filias inuidiæ & eius primogenitas*: R. Exultatio in aduerſis proximi, triſtitia in eius proſperis.

Ex Lectione quinta.

I. *Eſt-ne hoc vitium valde commune?* R. Eſt planè.

I. *Declara*: Quia vbi ſuperbia regnat, ſtatim etiam ibi regnat & inuidia.

Quinam ergo ſolent inuidere? R. Nobiles Nobilibus, docti doctis, diuites diuitibus.

I. *Quomodo hoc fit?* R. Quia æſtimant aliorum nobilitatem, vel doctrinam, vel opulentiam diminuere ſuam.

I. Qui-

I. *Quinam vltra ad inuidiam sunt proni?* R. Opifices & artifices.

I. *Quomodo id declaras?* R. Quia figulus figulum odit, faber fabrum, sutor sutorem.

I. *Vnde hoc fit?* R. Ex eo quod quidquid vni accedit lucri, alteri videtur decedere.

Ex Lectione 6. 7. & 8.

I. *Quæ sunt remedia contra inuidiam?* R. Sunt multiplicia.

I. *Dic primum:* R. Consideratio maledictionum contra inuidos in Scripturis.

I. *Dic secundum:* R. Consideratio fraternitatis quæ debet esse inter homines, tum ob eandem naturam, tum ob eiusdem gratiæ participationem.

I. *Dic & tertium:* R. Consideratio deformitatis huius vitij, diabolo nos similes reddentis.

I. *Dic quartum:* R. Consideratio mali, quod sibi inuidus inducit, quia suo gladio seipsum interimit.

I. *Quomodo hoc intelligis?* R. Quia inuidia solet cruciare ipsum inuidum vehementer.

Ex Lectione nona.

I. *Quæ est virtus opposita inuidiæ?* R. Charitas.

I. *Quomodo hoc?* R. Quia vbi illa regnat, non potest regnare inuidia.

I. *Vnde hoc ostendis?* R. Quia Charitas benigna est, non æmulatur, non inflatur, non cogitat malum.

I. *Quid ergo agit?* R. Reddit bonum pro malo, gaudet de profectu aliorum, adiuuat eos quantum potest.

INTERROGATIONES & RESPONSIONES, ex Tractatu V.

DE GVLA.

Ex Lectione 1. 2. & 3.

I. DIC *quintum vitium capitale?* R. Est Gula.

I. *Quid est Gula?* R. Est appetitus inordinatus cibi & potus.

I. *Quare vocas capitale vitium?* R. Quia est mater aliorum vitiorum.

I. *Est-ne graue vitium?* R. Est graue propter mala quæ generat.

I. Quod

I. *Quod est maximum eius malum?* R. Quod gulosi ventrem pro Deo censeantur colere.

I. *Quare hoc?* R. Quia vt ventri seruiant, non curant, Dei gratiam perdere.

I. *Quid vltrà ex gula sequitur?* R. Rixæ, periuria, homicidia.

I. *Quomodo hoc probas?* R. Quia dicit Sapiens: *Plures occidit crapula quàm gladius.*

I. *Posses-ne & hoc ostendere?* R. Sunt quotidiana hac de re exempla.

Ex Lectione quarta.

I. *Sunt-ne multæ filiæ gulæ?* R. Sunt plurimæ.

I. *Recense aliquas:* R. Inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia, mentis & corporis hebetudo.

I. *Quare vocas filias?* R. Quia hâc infelici matre generantur.

I. *Quomodo hoc ostendis?* R. Experientia nimis nota est, de multiloquio, vana lætitia, & subsequente hebetudine ex conuiuiis.

I. *Quid vocas immunditiam?* R. Oris eructationem, & fœtorem, vel etiam vomitus horrorem.

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. *Vndenam oriuntur dicta mala?* R. Maximè ex ebrietate.

I. *Est-ne illa mortale peccatum?* R. Est mortalis, si sit perfecta.

I. *Quando vocas perfectam?* R. Quando quis aduertenter se rationis vsu priuat nimio potu.

I. *Quid si quis non sit priuatus totaliter?* R. Etiam potest peccare mortaliter, si periculo voluntariè se exposuit.

I. *Qui sunt tales?* R. Qui magnam partem diei & noctis in poculis insumunt, an ebrietas sit secutura non curantes.

I. *Contra quod Præceptum peccant ebrij, siue ebriosi?* R. Contra omne.

I. *Quomodo contra primum & secundum?* R. Quia Deum non curant, solentq; Deum blasphemare, & iurare.

I. *Quomodo contra tertium?* R. Quia festos dies & officia diuina solent negligere.

I. *Quomodo contra quartum?* R. Quia iuuenes ebriosi parentibus sunt inobedientes, & viri vxoribus rebelles.

I. *Quomodo contra quintum?* R. Quia rixas & homicidia solent excitare.

I. *Quo-*

I. *Quomodo contra sextum?* R. Quia in libidines solent proni esse, & in turpiloquia.

I. *Quomodo contra septimum?* R. Quia aliena sæpè consumunt, & debitis se onerant.

I. *Quomodo contra octauum?* R. Quia solent detractionibus inter pocula vacare.

I, *Quomodo contra nonum & decimum?* R. Quia alienas vxores sæpe concupiscunt, resq; alienas.

I, *Est-ne hoc vitium valde commune?* R. Experientia docet quàm sit commune, nec est opus probare.

Ex Lectione 8. 9. 10.

I. *Quæ sunt remedia contra gulam?* R. Sunt plurima.

I. *Dic primum:*

R. Consideratio maledictionum quas incurrunt in hac vita & futura.

I. *Dic secundum:*

R. Consideratio abstinentiæ Christi pro gulæ peccato satisfacientis.

I. *Dic tertium:*

R. Consideratio Sanctorum qui crucifixerunt carnem cum concupiscentijs.

I. *Dic quartum:*

 R. Con-

R. Consideratio breuitatis & vilitatis quæ in delectatione gulæ reperitur.

I. *Dic quintum*:

R. Consideratio remorsuum conscientiæ, & incommodorum totius corporis.

Ex Lectione vndecima.

I. *Quæ est virtus opposita gulæ?*

R. Sobrietas & temperantia.

I. *Quid est temperantia?*

R. Est virtus cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetuntur.

I. *Quis nos eam docuit?*

R. Christus Dominus.

I. *Quis post ipsum?*

R. Omnes Sancti eam sectati sunt, & coluerunt.

I. *Quid illa in nobis producit?*

R. Sanitatem corporis, & sanctitatem mentis.

INTERROGATIONES & RESPONSIONES, ex Tractatu VI.

DE

D E I R A.

Ex Lectione 1. 2. 3.

I. DIC *sextum vitium capitale:*
R. Est Ira.

I. *Quid est Ira?*
R. Si in malum accipiatur, est immoderata cupiditas vindictæ vel punitionis.

I. *Quare dicis, si in malum accipiatur?*
R. Quia non omnis ira est mala.

I. *Quomodo hoc?*
R. Sicut potest esse iusta punitio & vindicta; sic & ira.

I. *Declara id in particulari:*
R. Potest iustè irasci Pater filio, Herus seruo, Præceptor discipulo.

I. *Quæ ergo ira condemnatur?*
R. Iniusta & immoderata.

I. *Est-ne hæc graue peccatum?*
R. Quandoque est grauissimum, quia & in Deum, & in Sanctos se erigit blasphemando.

I. *Quare dicitur Capitale?*
R. Quia multa alia peccata generat, vt patet in homicidijs, parricidijs, fratricidijs, & similibus.

Ex Le-

Ex Lectione 4. & 5.

I. *Sunt-ne multæ filiæ iræ?*

R. Sunt plurimæ.

I. *Recense aliquas:*

R. Odium; indignatio, tumor, discordiæ, furor, crudelitas.

I. *Dic & alias:*

R. Clamores, minæ, contumeliæ, calumniæ, maledictiones, voces blasphemæ.

I. *Est-ne hoc vitium valde commune?*

R. Est omnino.

I. Quare?

R. Quia inest homini appetitus irascibilis, qui facilè sine moderatione exundat.

I. *Quot sunt genera iracundorum?*

R. Sunt quatuor.

I. *Dic primos:* R. Sunt qui facilè irascuntur, & facilè placantur.

I. *Dic secundos:* R. Sunt alij, qui tardè irascuntur, sed diu iram fouent.

I. *Dic tertios:* R. Sunt qui citò irascuntur, & tarde iram deponunt.

I. *Dic postremos:*

R. Sunt qui tardè irascuntur, & citò placantur.

Ex Lectione 6. 7. 8.

I. *Quæ sunt remedia contra iram?*
R. Sunt multiplicis generis.
I. *Dic primum:* R. Consideratio maledictionum tam in hac, quàm in futura vita in iracundos.
I. *Dic secundum:* R. Consideratio malorum, quæ ingenerare solet animo nisi euincatur.
I. *Dic tertium:* R. Consideratio bonitatis & mansuetudinis diuinæ, ad iram deponendam nos inuitantis.
I. *Dic quartum:* R. Consideratio patientiæ Christi & Sanctorum.
I. *Dic quintum:* R. Consideratio fraternitatis cum proximo, quæ sæpe per iram dissoluitur.

Ex Lectione nona.

I. *Quæ virtus opponitur iræ?* R. Patientia.
I. *Quos habet actus in nobis patientia?* R. Linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit.
I. *Da & alios ipsius actus:* R. Aliena mala æquanimiter tolerat, bonum pro malo reddit, omnem impetum animi frangit.
I. *Dic & postremos eius actus:* R. Omnem odij

& indignationis scintillam extinguit, citò ignoscit, citò in gratiam recipit.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & RESPONSIONES ex Tractatu VII.

DE ACEDIA.

Ex Lectione 1. 2. 3.

I. DIc *septimum vitium capitale?* R. Est Acedia.

I. *Quid est Acedia?* R. Est torpor mentis, bona inchoare, vel prosequi negligentis.

I. *Quibus nominibus solet intitulari?* R. Tristitia spiritualis, tædium, indeuotio, languor nominatur.

I. *Est-ne Acedia peccatum mortale?* R. Est peccatum mortale; si propter illam aliqua omittantur, quæ sint ex Præcepto.

I. *Quare vocatur vitium capitale?* R. Quia grauia peccata solet generare.

I. *Quæ peccata?* R. Dilationem pœnitentiæ, odium Dei, desperationem, & omnium rerum spiritualium auersionem.

Ex Lectione 4. & 5.

I. *Quænam sunt filiæ Acediæ?* R. Sunt in magno numero.

I. *Dic aliquas:* R. Tepiditas, pusillanimitas, somnolentia, otiositas.

I. *Dic & alias;* R. Indeuotio, incuria, ignauia, tædium vitæ, diffidentia.

I. *Est-ne commune valde hoc peccatum?* R. Est multis commune.

I. *Quomodo hoc ostendis?* R. Quia etiam eos qui pietatem sectantur, inficit.

I. *Vnde prouenit illa?* R. Ex eo quod gratiæ diuinæ non coöperemur ad feruorem nos incitanti.

Ex Lectione 6. & 7.

I. *Quænam sunt remedia contra Acediam?* R. Sunt multiplicis generis.

I. *Dic primum:* R. Consideratio maledictionis quam DEVS interminat acediosis.

I. *Quænam est illa maledictio?* R. Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.

I. *Dic secundum:* R. Consideratio temporis pretiosi, quod feruenter oportet impendere æternitati.

I. *Dic tertium:* R. Consideratio grauium pecca-

peccatorum quæ commisimus, quæ pœnitentiæ feruorem requirunt.

I. *Dic quartum*: R. Consideratio negotiatorum huius sæculi, qui magno feruore ad res perituras feruntur.

I. *Dic sextum*: R. Consideratio cruciatu in tormentis, vel gloriæ in Cælis.

Ex Lectione octaua.

I. *Quæ est virtus opposita Acediæ?* R. Diligentia & feruor spiritualis.

I. *Quas habet illa filias?* R. Promptitudinem ad diuinam voluntatem, zelum gloriæ Dei, zelum salutis proximi.

I. *Recense & alias*: R. Deuotio in oratione, perseuerantia in bono opere, amor cælestium, sollicitudo æternorum.

I. *Quis hanc virtutem nos edocuit?* R. Christus Dominus à præsepio vsq; ad crucem.

I. *Quinam post ipsum?* R. Martyres & omnes Sancti exemplo & verbo.

I. *Quid impetrabit illa diligentia?* R. Perseuerantiam & coronam: quam nobis donet qui est benedictus in sæcula, Amen.

FINIS.